ipsam ætatem, hoc saltem nomine ejus suffragio miseram, fortunet magis (1). *Et quoniam hoc loco, atque hoc ad disputationem ingressu, confutanda ea mihi sunt quæ minoris ponderis videntur; illud ab homine perhumano, qualem illum omnes norunt, expectassem profecto nunquam, ut, vel ipso Catone severior, lepores quosdam ac sales, apposite a nobis inter dicendum usurpatos, fastidiose adeo aversaretur, ut irrideret potius ac diceret, Naturam poeticis non delectari. At ego, proh! quantum ab hac opinione distabam: Naturam poetriam ad hanc usque diem existimavi. Illa certe vix unquam poma fructusque ullos parit, quorum flores veluti ludibunda non præmittat* (2). *Galilæum vero quis unquam adeo durum existimasset, ut a severioribus negotiis festiva aliqua eorum condimenta longe ableganda censeret? Hoc enim Stoici potius est, quam Academici. Attamen jure is quidem nos arguat, si gravissimas quæstiones jocis ac salibus eludere potius quam explicare tentaremus; at vero, rationum inter gravissimarum pondera, lepide aliquando ac salse jocari quis vetat? Vetat enim vero Academicus. Non paremus. Et si illi nostra hæc urbanitas non sapit? Plures habemus, non minus eruditos, quos delectat. Neque enim hic fuit sensus virorum, et genere et doctrina clarissimorum, qui nostræ disputationi interfuere, quibus sapienter omnino factum visum est, ut Cometes, triste infaustumque vulgo portentum, placido aliquo verborum lenimento tractaretur, ac proprie mitigaretur. Sed hæc levia sunt, inquis. Ita est; ac proinde leviter diluenda. Venio nunc ad graviora* (3).

Tribus potissimum argumentis Cometæ locum indagandum censuit Magister meus. Primum quidem per parallaxis observationes, deinde ex incessu ejusdem ac motu, denique ex iis quæ tubo optico in illo observarentur. Conatur Galilæus singulis abrogare fidem, eaque suis momentis privare. Cum enim ostendissemus, Cometam, ex variis diversorum locorum observationibus, parvam admodum passum esse aspectus diversitatem, ac propterea supra Lunam statuendum, ait ille, argumentum ex parallaxi desumtum nihil habere ponderis, nisi prius statuatur, sint ne illa quæ obser-

(1) *Vedi la Postilla N° XIV.*
(2) *Vedi la Postilla N° XV.*
(3) *Vedi la Postilla N° XVI.*

Digitized by Google

vantur vera unoque loco consistentia, an vero in speciem apparentia ac vaga? Recte is quidem; sed non erat his opus (1). *Quid enim, si statutum jam id haberetur? Certe, cum certamen nobis præsertim esset cum Peripateticis, quorum sententia quamplurimos etiam nunc sectatores recenset, frustra ex apparentium numero Cometas exclusissemus, cum nullius nostrûm animum pulsaret hæc dubitatio* (2). *Sane Galilæus ipse, dum adversus Aristotelem disputat, non acriori ac validiori utitur argumento, quam ex parallaxi desumto. Cur igitur, simili atque eadem prorsus in caussa, nobis eodem uti libere non liceret? Sed confutandæ etiam fuerint Anaxagoræ, Pythagoræorum atque Hippocratis opiniones. Nemo tamen ex iis, Cometam vanum omni ex parte oculorum ludibrium affirmavit. Anaxagoras enim stellarum verissimarum congeriem esse dixit; cum Æschylo Hippocrates nihil a Pythagoræis dissentit; Aristoteles profecto, cum eorundem Pythagoræorum sententiam exposuisset, qua dicerent Cometam unum esse errantium siderum, tardissime ad nos accedens ac citissime fugiens, subdit:* « *Similiter autem his et qui sub Hippocrate Chio, et discipulo* » *ejus Æschylo, enunciaverunt.* » *Sed comam non ex se ipso aiunt habere, sed errantem, propter locum, aliquando accipere, refracto nostro visu ab humore attracto ab ipso ad solem. Galilæus vero, in ipso suæ disputationis exordio, dum eorundem placita recenset, asserit dixisse illos, Cometam stellam quandam fuisse, quæ Terræ aliquando propior facta quosdam ab eadem ad se vapores extraheret, e quibus sibi, non caput, sed comam decenter aptaret. Minus igitur, ut hoc obiter dicam, ad rem facit, dum postea ex his iisdem locis probat, Pythagoræos etiam existimasse Cometam ex refractione luminis extitisse; illi enim nihil in Cometis vanum, præter barbam, existimarunt* (3). *Intelligit ergo, nulli horum visum unquam fuisse, Cometam, si de ejusdem capite loquamur, inane quiddam ac mere apparens dicendum. Quare, cum hac in re, ad hoc usque tempus, convenirent omnes; quid erat causæ, cur facem hanc lucidissimam larvis illis ac fictis colorum ludibriis spoliaremus, ab eaque crimen illud averteremus, quod ei nullus hominum,*

(1) *Vedi la Postilla N° XVII.*
(2) *Vedi la Postilla N° XVIII.*
(3) *Vedi la Postilla N° XIX.*

Digitized by Google

quorum habenda foret ratio, objecisset ? Cardanus enim ac Telesius, ex quibus aliquid ad hanc rem desumsisse videtur Galilæus, sterilem atque infelicem Philosophiam nacti, nulla ab ea prole beati, libros posteris, non liberos, reliquerunt (1). *Nobis igitur, ac Tychoni, satis sit apud eos non perperam disputasse, apud quos nunquam vani ac fallacis spectri Cometes incurrit suspicionem; hoc est, ipso Galilæo teste, apud omnium, quotquot adhuc fuerunt, Philosophorum Academias. Quod si quis modo inventus est, qui hæc phænomena inter mire apparentia reponenda diserte docuerit; ostendam huic ego suo loco, ni fallor, quam longe Cometæ ab Iride, Areis et Coronis, moribus ac motibus distent; quibusque argumentis conficiatur, Cometem, si comam excluseris, non ad Solis imperium nutumque (quod apparentibus omnibus commune est) agi, sed liberum moveri protinus ac circumferri, quo sua illum natura impulerit traxeritque.*

Eadem prorsus ratione respondendum mihi est ad argumenta ea, quæ ex motu desumto objiciuntur. Non enim ex eo, quod loca Cometæ singulis diebus respondentia in plano, ad modum horologii, descripta in una recta linea reperirentur, motum illum in circulo maximo fuisse necessario inferebamus : objicit autem Galilæus « non deduci id necessario; quia, si incessus Cometæ » revera in linea recta fuisset, sic etiam loca ipsius, ad modum » horologii descripta, lineam rectam (2) *constituissent; non tamen » fuisset motus hic in circulo maximo: » sed quamvis verissimum sit, motum etiam per lineam rectam repræsentari debuisse rectum; cum tamen adversus eos lis esset, qui vel de Cometæ motu circulari nihil ambigerent, vel quibus rectus hic motus nunquam venisset in mentem, hoc est contra Anaxagoram, Pythagoræos, Hippocratem et Aristotelem, atque illud tantum quæreretur, an Cometes, qui in orbem agi credebatur, majores, an potius minores lustraret orbes; non inepte, sed prorsus necessario, ex motu in linea recta apparente inferebatur circulus ex motu descriptus fuisse* (3). *Nemo enim adhuc motum hunc rectum et perpendicularem invexerat. Quamvis enim Keplerus ante Galilæum, in appendicula de motu*

(1) *Vedi la Postilla N° XX.*
(2) *Vedi la Postilla N° XXI.*
(3) *Vedi la Postilla N° XXII.*

Digitized by Google

Cometarum, per lineas rectas eundem motum explicare contendat; ille tamen nihilominus vidit, in quales sese difficultates induceret: quare neque ad Terram perpendicularem esse voluit motum hunc, sed transversum, neque æqualem, sed in principio ac fine remissiorem, celerrimum in medio, eumque præterea fulciendum Terræ ipsius motu circulari existimavit, ut omnia Cometarum phænomena explicaret. Quæ nobis Catholicis nulla ratione permittuntur. Ego igitur opinionem illam, quam pie ac sancte tueri non liceret, pro nulla habendam duxeram (1). *Quod si postea, paucis mutatis, motum hunc rectum Cometis tribuendum putavit Galilæus, id quam non recte præstiterit inferius singillatim mihi ostendendum erit. Intelligat interim, nihil nos contra Logicæ præcepta peccasse, dum ex motu in linea recta apparenti orbis maximi partem eodem descriptam fuisse deduximus. Quid enim opus fuerat motum illum rectum et perpendicularem excludere, quem in Cometis nusquam reperiri constabat* (2)? *Sed dum illud præterea hoc loco nobis objicit: « Si Cometes circa Solem ageretur, cum integro quadrante ab eodem » Sole recesserit, futurum aliquando ut ad Terram usque descen- » deret: » non venit illi in mentem fortasse, non uno modo circa Cometam agi potuisse* (3). *Quid enim, si circulus quo vehebatur eccentricus Soli fuisset, et majori sui parte aut supra Solem existente, aut ad septentrionem vergente? Quid, si motus circularis non fuisset, sed ellipticus* (4), *et quidem summa imaque parte compressus, longe vero exporrectus in latera? Quid, si ne ellipticus quidem, sed omnino irregularis, cum præsertim, ex ipsius Galilæi systemate, nullo plane impedimento Cometis quocumque liberet moveri licuerit? Ut sane propterea timendum non esset, ne Cometarum lucem Tellus, aut Tartarus e propinquo visurus unquam foret* (5). *Sed quando Magistro meo Logicæ imperitiam Galilæus objecit, patiatur experiri nos, quam exacte ejusdem ipse facultatis leges servaverit: neque hoc multis; uno enim aut altero exemplo contenti erimus. Dixeramus, stellas tubo inspectas minimum, ad*

(1) *Vedi la Postilla N° XXIII.*
(2) *Vedi la Postilla N° XXIV.*
(3) *Vedi la Postilla N° XXV.*
(4) *Vedi la Postilla N° XXVI.*
(5) *Vedi la Postilla N° XXVII.*

Digitized by Google

sensum, incrementum suscepisse. « *Sed cum stellæ (inquit ille)* » *quamplurimæ, quæ perspicacissimos quosque oculos fugiunt, per* » *tubum conspiciantur, non insensibile, sed infinitum potius in-* » *crementum ab illo accepisse dicendæ erunt; nihil enim, atque ali-* » *quid, infinito plane distant intervallo.*» *Ex eo igitur, quod aliquid videatur cum prius non videretur, infert Galilæus objecti incrementum infinitum, incrementum, inquam, apparens saltem, quantitatis. At ego, neque infinitum, neque incrementum quidem ullum inferri posse existimo* (1). *Et primo quidem, quamquam verum sit, inter hoc quod est videri, et hoc quod est non videri, distantiam esse infinitam, unasaltem ex parte, atque hæc duo proportionem illam habere quam Nihil atque Aliquid, hoc est proportionem prorsus nullam; cum tamen id quod non erat esse incipit, crescere aut augeri non dicitur, quod augumentum omne aliquid semper ante supponat, neque Mundum, cum primum a Deo creatus est, infinite auctum dicimus, cum nihil antea præfuisset; est enim augeri, fieri aliquid majus, cum prius esset minus. Quare ex eo, quod aliquid prius non videretur, videatur autem postea, inferri non potest, ne in ratione quidem visibilis, augumentum infinitum. Sed hoc interim nihil moror; vocetur augumentum transitus de non esse ad esse: ulterius pergo. Ipse tamen, cum ex eo, quod stellæ, antea non visæ, per tubum inspectæ fuerint, intulit a tubo illas infinitum incrementum accepisse, meminisse debuerat, affirmasse se alibi tubum eundem in eadem proportione augere omnia. Si ergo stellas, quas nudis oculis videmus, auget in certa et determinata proportione, puta in centupla, illas etiam minimas, quæ oculos fugiunt, cum in aspectum profert in eadem proportione augebit: non igitur infinitum erit illarum incrementum, hoc enim nullam admittit proportionem* (2).

Secundo ad hoc, ut inter visibile et non visibile intercedat augumentum infinitum in apparenti quantitate (id enim significat vox incrementi ab illo usurpata) necesse est ostendere inter quantitatem visam et non visam distantiam esse infinitam in ratione quanti, alioquin nunquam inferetur hoc augumentum infinitum. Si quis enim ita argumentetur: Cum quid transit de non visibili

(1) *Vedi la Postilla N° XXVIII.*
(2) *Vedi la Postilla N° XXIX.*

Digitized by Google

ad visibile, augetur infinite; sed stellæ transeunt de non visibili ad visibile; ergo augentur infinite: distinguenda erit major: augentur infinite in ratione visibilis, esto; augentur in ratione quanti, negatur: sic enim etiam consequens eadem distinctione solvetur: augentur in ratione visibilis, non autem in ratione quanti. Ex quibus apparet, terminum incrementi non eodem modo sumi in majori propositione atque in consequentia; in illa siquidem pro incremento visibilitatis accipitur, in hac vero pro augumento quantitatis: hoc autem quam Logicæ legibus consentaneum sit, videat Galilæus.

Tertio ajo, ne ullum quidem augumentum inde inferri posse. Logicorum enim lex est, quotiescumque effectus aliquis a pluribus causis haberi potest, male ex effectu ipso unam tantum illarum inferri: v. g., cum calor haberi possit ab igne, a Sole, aliisque causis, male quis inferet: hic calor est, ergo ab igne. Cum ergo hoc, quod est videri aliquid cum prius non videretur, a multis etiam causis pendere possit, non poterit ex illa visibilitate una tantum illarum causarum deduci (1). *Posse autem hunc effectum a pluribus causis haberi, apertissimum esse arbitror: manente enim primum objecto ipso immutato, si vel potentia visiva augeatur in se ipsa, vel impedimentum aliquod auferatur, si adsit, vel instrumento aliquo, qualia sunt specilla, eadem potentia fortior evadat; vel certe immutata potentia objectum ipsum aut illuminetur clarius, aut propius accedat ad visum, aut ejus denique moles excrescat: unum ex his satis erit ad eumdem effectum producendum. Cum ergo infertur ex eo, quod stellæ videantur cum prius laterent, infinitum illas augumentum accepisse, ad Logicorum normam id minus recte colligitur, quod aliæ causæ omissæ sint ex quibus idem effectus haberi poterat. Sane nihil est quod tubo hoc incrementum tribuat Galilæus; si enim vel clausos tantum oculos semel aperiat, augeri omnia infinite æque vere pronunciabit, cum prius non viderentur, modo videantur. Quod si dicat sibi de iis tantum loquendum fuisse, quæ a tubo haberi possent, cum solum hic de tubo ageretur, potuisse proinde se alias causas omittere* (2); *respondeo, ne id quidem ad rectam argumentationem*

(1) *Vedi la Postilla N° XXX.*
(2) *Vedi la Postilla N° XXXI.*

Digitized by Google

satis esse; tubus enim ipse non uno tantum modo ea quæ sine illo non videntur in conspectum profert: primo quidem, objecta sub majori angulo ad oculum ferendo, ex quo fit ut majora videantur (1); *secundo, radios ac species in unum cogendo, ex quo fit ut efficacius agant: horum autem alterum satis est ad hoc, ut videantur ea quæ prius aspectum fugiebant; non licuit ergo ex hoc effectu alteram tantum illarum causarum inferre.*

Quarto, ne id quidem Logicorum legibus congruit, stellas, si per tubum non augentur, ab eodem, singulari sane ejusdem prærogativa instrumenti, illuminari. Ex quibus videtur Galilæus duobus his membris adæquate specillorum effecta partiri; quasi diceret: specillum vel stellas auget, vel easdem illuminat; non auget ergo illuminat. Lex tamen alia Logicorum est, in divisione membra omnia dividentia includi debere; sed in hac Galilæi divisione neque omnia specilli effecta includuntur, neque ea quæ numerantur ejus propria sunt: illuminatio enim, ut ipse quidem existimat, tubi effectus esse non potest, et specierum aut radiorum coactio, quæ proprie a specillis habetur, ab eodem omittitur; vitiosa igitur fuit ejusdem divisio. Nec plura hic addo: pauca autem hæc, quæ uno ferme loco forte inter legendum offendi, adnotare volui, aliis interim omissis, ut intelligat, disputationem suam ea culpa non vacare, quam ipse in aliis reprehendit (2).

Sed quid (libet enim hoc loco rem, Galilæo adhuc inauditam, non omittere), quid, inquam, si quam ipse prærogativam tubo suo tribuere non audet, illam ego eidem tribuendam esse ostendero? Tubus, inquit, vel objecta auget, vel certe, occulta quadam atque inaudita vi, eadem scilicet illuminat. Ita est; tubus luminosa omnia magis illuminat. Hoc si ostendero, næ ego magnam me apud Galilæum initurum gratiam (3) *spero; dum tubum, cujus amplificatione merito gloriatur, hac etiam inaudita prærogativa donavero. Age igitur, tubo eodem ideo augeri dicimus objecta, quia hæc ab eo ad oculum feruntur majori angulo, quam cum sine tubo conspiciuntur: quæcumque autem sub majori angulo ea*

(1) *Vedi la Postilla N° XXXII.*
(2) *Vedi la Postilla N° XXXIII.*
(3) *Vedi la Postilla N° XXXIV.*

Digitized by Google

majora videntur, ex Opticis: sed tubus idem (1) *luminosorum speciem et dispersos radios dum cogit, et ad unum fere punctum colligit, conum visivum, seu pyramidem luminosam qua objecta lucida spectantur, longe lucidiorem efficit; et proinde luminosa objecta splendidiore pyramide ad oculum vehit; ergo pari ratione dicetur tubus stellas illuminare, sicuti easdem augere dicitur. Quemadmodum enim angulus major vel minor, sub quo res conspicitur, rem majorem minoremve ostendit; ita pyramis magis minusve luminosa, per quam corpus luminosum aspicitur, idem objectum lucidum magis aut minus monstrabit. Fieri autem lucidiorem pyramidem opticam ex radiorum coactione, satis manifeste et experientia et ratio ipsa ostendunt. Hæc siquidem docet lumen idem, quo minori comprehenditur spatio, eo magis illuminare locum in quo est; at radii in unum coacti lumen idem minori spatio claudunt; ergo et hoc idem magis illuminant* (2). *Experientia vero idem probabitur, si lentem vitream Soli exponamus; videbimus enim in radiis ad unum punctum coactis* (3), *non solum ligna comburi et plumbum liquescere, sed oculos eo lumine, utpote clarissimo, pene excæcari: quare assero, tam vere dici stellas tubo illuminari, quam easdem eodem tubo augeri* (4). *Bene igitur est ac perbeate tubo huic nostro; quando stellas ipsas ac Solem, clarissima lumina, illustrare etiam clarius per me jam potest* (5).

Ad tertium argumentum propero, quod iisdem mihi verbis hoc loco referendum arbitror; ut nimirum omnes intelligant, quid illud tandem fuerit, quo se vehementer adeo offensum profitetur Galilæus. Sic enim se habet: « Illud tertio loco hoc idem persuadet,
» quod Cometa tubo optico inspectus vix ullum passus est incre-
» mentum; longa tamen experientia compertum est, atque opticis
» rationibus comprobatum, quæcumque hoc instrumento conspi-
» ciuntur majora videri, quam nudis oculis inspecta compareant;
» ea tamen lege, ut minus ac minus sentiant ex illo incrementum,
» quo magis ab oculo remota fuerint: ex quo fit ut stellæ fixæ, a

(1) *Vedi la Postilla N° XXXV.*
(2) *Vedi la Postilla N° XXXVI.*
(3) *Vedi la Postilla N° XXXVII.*
(4) *Vedi la Postilla N° XXXVIII.*
(5) *Vedi la Postilla N° XXXIX.*

Digitized by Google

» *nobis omnium remotissimæ, nullam sensibilem ab illo recipiant* » *magnitudinem* (1). *Cum ergo parum admodum augeri visus sit* » *Cometa, multo a nobis remotior quam Luna dicendus erit, cum* » *hæc tubo inspecta longe major appareat. Scio hoc argumentum* » *parvi apud aliquos fuisse momenti; sed hi fortasse parum Opticæ* » *principia perpendunt, ex quibus necesse est, huic eidem maxi-* » *mam inesse vim ad hoc quod agimus persuadendum.* » *Hic ego præmittere primum habeo, quorsum hujusmodi argumentum disputationi nostræ intextum fuerit. Non enim velim majori id apud alios in pretio haberi, quam apud nos; neque ii sumus qui emptoribus fucum faciamus, sed tanti merces nostras vendimus quanti valent* (2). *Cum igitur ad Magistrum meum ex multis Europæ partibus illustrium Astronomorum observationes perferrentur, nemo illorum tunc fuit, qui illud etiam postremo loco non adderet, Cometam a se longiori specillo observatum vix ullum incrementum suscepisse: ex qua observatione deducerent, illum saltem supra Lunam statuendum. Cumque hoc etiam, ut cætera, variis hominum inter frequentium cœtus sermonibus agitaretur, non defuere qui palam ac libere assererent, nullam huic argumento fidem habendam, tubum hunc larvas oculis ingerere ac variis animum deludere imaginibus. Quare, sicuti ne ea quidem quæ cominus aspicimus sincera ac sine ludificationibus ostendit, ita illum multo minus ea quæ longe a nobis remota sunt non nisi larvata atque deformia monstraturum. Ut ergo et amicorum observationibus aliquid dedisse videremur* (3), *ac simul eorum inscitiam, quibus instrumentum hoc nullo erat in precio, publice redargueremus, hoc argumentum tertio loco apponendum, ac postrema ea verba, quibus offensum se dicit Galilæus* (4), *addenda existimavimus, de homine bene potius nos hinc meritos, quam male, sperantes; dum tubum hunc, quamvis non fœtum, alumnum certe ipsius, ab invidorum calumniis tueremur* (5). *Cæterum, quanti hoc argumentum apud nos esset, satis arbitror ex eo poterat intelligi, quod paucis adeo ac plane jejune propositum fuerit, cum prius reliqua duo longe accuratius ac fusius fuissent*

(1) *Vedi la Postilla N° XL.*
(2) *Vedi la Postilla N° XLI.*
(3) *Vedi la Postilla N° XLII.*
(4) *Vedi la Postilla N° XLIII.*
(5) *Vedi la Postilla N° XLIV.*

Digitized by Google

explicata (1). *Neque Galilæum hæc ipsa latuerunt, si quod res est fateri velit. Cum enim rescissemus, eo illum argumento graviter commotum, quod existimaret se unum iis verbis peti, curavit Magister meus illi per amicos significari, nihil unquam minus se cogitasse, quam ut eum verbo vel scripto læderet. Cumque iis, a quibus hæc acceperat, Galilæus pacatum jam atque eorum dictis acquiescentem animum ostendisset, maluit tamen postea, quantum in se fuit, amicum quam dictum perdere* (2). *Sed rem ipsam nunc enucleatius discutiamus. Ajo, nihil in hoc argumento a veritate alienum reperiri* (3). *Nam asserimus primum, objecta tubo optico visa quo propinquiora fuerint eo augeri magis, minus vero quo remotiora. Nihil verius. Galilæus negat. Quid, si fateatur* (4)? *Quæro enim ex illo, cum tubum illum suum et quidem optimum in manus acceperit, si forte rem intra cubiculi aut aulæ spatia inclusam intueri voluerit, an non is longissime producendus sit? Ita est, ait. Si vero rem longe dissitam e fenestra eodem instrumento spectare libuerit, contrahendum illico dicet, atque ab immani illa longitudine breviorem redigendum in formam. Quod si productionis hujus contractionisque causam quæsiero, ad naturam utique instrumenti recurrendum erit; cujus ea conditio est, ut ad propinquiora intuenda, ex Opticæ principiis, produci, ad remotiora vero spectanda contrahi postulet. Cum ergo ex productione et contractione tubi* (5), *ut ait ipse, necessario oriatur majus minusve objectorum incrementum, licebit jam mihi ex his argumentum hujusmodi conficere* (6). *Quæcumque non aliter quam productiore tubo spectari postulant, necessario augentur magis; et quæcumque non aliter quam contractiore tubo spectari postulant, necessario augentur minus; sed propinqua omnia non aliter quam productiore tubo, longe vero remota non aliter quam contractiori tubo spectari postulant; ergo propinqua omnia necessario augentur magis, longe vero remota necessario augentur minus. In quo argumento si major minorque propositio vera comprobetur, nec negabitur, arbitror, quod ex illis*

(1) *Vedi la Postilla N° XLV.*
(2) *Vedi la Postilla N° XLVI.*
(3) *Vedi la Postilla N° XLVII.*
(4) *Vedi la Postilla N° XLVIII.*
(5) *Vedi la Postilla N° XLIX.*
(6) *Vedi la Postilla N° L.*

Digitized by Google

necessario consequitur. Primam vero propositionem ipse ultro admittet; altera etiam certissima est: et quidem in iis, quæ citra dimidium miliare spectantur, nulla apud illum probatione indiget; quod si ea, quæ ulterius deindè excurrunt, eadem spectari solent tubi longitudine, id fit, non quia revera magis semper ac magis contrahendus ille non sit, sed quia major isthæc contractio adeo exiguis includitur terminis, ut non multum intersit si omittatur, ac proinde ut plurimum negligatur (1). *Si tamen rei naturam spectemus, atque ex rigore geometrico loquendum sit, semper major hæc contractio requiretur: eadem plane ratione, ac si quis diceret, visibile quodcumque, quo magis ab oculo removetur, minori semper ac minori spectari angulo: quæ propositio verissima est. Nihilominus, cum res oculo objecta ad certam pervenerit distantiam, in qua angulum visivum efficiat valde exiguum, quamvis postea multo adhuc intervallo fiat remotior, non minuitur sensibiliter idem angulus; et tamen demonstrari potest, illum semper minorem ac minorem futurum* (2). *Ita, quamvis ultra maximam quandam distantiam objectorum vix varientur anguli incidentiæ specierum ad tubi specilla (perinde enim tunc est, ac si omnes radii perpendiculariter inciderent)* (3), *et consequenter neque varianda sensibiliter sit instrumenti longitudo; verissima tamen adhuc censenda est ea propositio, quæ asserit, naturam specilli eam esse, ut, quo remotiora fuerint objecta, eo magis ad ea spectanda contrahi postulet, et propterea minus eadem augeat quam propinqua: et si severe, ut ajebam, loquendum sit, affirmo stellas breviori specillo spectandas quam Lunam. Sed dicet is, hoc non esse, saltem* (4), *eodem uti instrumento; ac proinde, si de eodem loquamur specillo, falsam esse positionem illam: quamquam enim eadem sint vitra, idem etiam tubus; si tamen hic idem modo productior, modo vero fuerit contractior, non idem semper erit instrumentum* (5). *Apage hæc tam minuta. Si quis igitur cum amico colloquens leni sono verba formaverit, ut scilicet e propinquo exaudiatur; mox alium conspicatus e longinquo contentissima illum voce inclamarit; alio atque alio illum uti*

(1) *Vedi la Postilla N° LI.*
(2) *Vedi la Postilla N° LII.*
(3) *Vedi la Postilla N° LIII.*
(4) *Vedi la Postilla N° LIV.*
(5) *Vedi la Postilla N° LV.*

Digitized by Google

gutture atque ore dixeris, quod hæc vocis instrumenta illic contrahi, hic dilatari atque extendi necesse sit? Nos vero, cum tubicines æs illud recurvum ac replicatum adducta reductaque dextra ad graviorem quidem sonum producentes, ad acutiorem vero contrahentes intuemur; num propterea alia atque alia uti tuba existimamus? Sed videat Galilæus (1), *quam non contentiose agam: aliud sit instrumentum tubus nunc productior, nunc contractior; iterum, paucis mutatis, idem argumentum conficiam. Quæcumque diverso instrumento spectari postulant, diversum etiam ex instrumento capiunt incrementum* (2); *sed propinqua et remota diverso instrumento spectari postulant; diversum igitur propinqua et remota ex instrumento capient incrementum. Major iterum ac minor ipsius est; ejusdem sit et consequentia necesse est. Quibus rebus expositis, satis docuisse videor, nihil nos hactenus a veritate, neque a Galilæo quidem, alienum pronunciasse, cum diximus, hoc instrumento minus remota augeri quam propinqua; cum natura etiam sua ad illa spectanda contrahi, ad hæc vero produci postulet: dici tamen non inepte poterit, idem quidem esse instrumentum, diverso tamen modo usurpatum* (3). *At dicet: verissima hæc quidem esse, si summo Geometriæ jure res agatur; quod tamen in re nostra locum non habet: et cum saltem ad Lunam et stellas intuendas nullo longitudinis discrimine specillum adhiberi soleat, nihil etiam ponderis habituram esse majorem minoremve distantiam ad majus minusve objecti incrementum inferendum* (4): *quare, si stellæ minus augeri videantur quam Luna, ex alio deducendam hujus phænomeni rationem, non ex objecti remotione. Ita sit; et nisi aliunde etiam habeat tubus hic, stellas minus augere quam Lunam, minus fortasse ponderis argumento insit. Dum tamen illud præterea huic instrumento tribuitur, ut luminosa omnia larga illa radiatione, qua veluti coronantur, expoliet, ex quo fit, ut, licet stellæ idem fortasse re ipsa capiant ex illo incrementum quod Luna, minus tamen augeri videantur (cum diversum plane sit id, quod tubo conspicitur, ab eo quod nudis prius oculis*

(1) *Vedi la Postilla N° LVI.*
(2) *Vedi la Postilla N° LVII.*
(3) *Vedi la Postilla N° LVIII.*
(4) *Vedi la Postilla N° LIX.*

Digitized by Google

videbatur; hi siquidem nudi et stellam et circumfusum fulgorem spectabant, tubo vero adhibito solum stellæ corpusculum intuendum objicitur): verissimum etiam est, iis omnibus quæ ad Opticam spectant consideratis, stellas hoc instrumento, quoad aspectum saltem, minus accipere incrementi quam Lunam; imo etiam aliquando, si oculis credas, nulla ratione augeri, ac, si Deo placet, etiam minui; quod nec ipse Galilæus negat. Mirari proinde desinat (1), *quod stellas insensibiliter per tubum augeri dixerimus; neque enim hic hujus aspectus causam quærebamus, sed aspectum ipsum. At videat hoc loco Galilæus, quam non insipienter ex his atque aliis in Sidereo Nuncio ab illo traditis inferamus, Cometam supra Lunam statuendum. Ait ipse, cœlestia inter lumina alia quidem nativa ac propria fulgere luce, quo in numero Solem ac stellas quas fixas dicimus collocat; alia vero nullo a Natura splendore donata lumen omne a Sole mutuari; qualia sex reliqui planetæ haberi solent. Observavit præterea, stellas maxime inane illud lucis non suæ coronamentum adamasse, ac veluti comam alere consuevisse; planetas vero, Lunam præsertim, Jovem atque Saturnum, nullo fere hujusmodi fulgore vestiri: Martem tamen, Venerem atque Mercurium, quamvis nullo et ipsi generis splendore sint præditi, e Solis propinquitate tantum haurire luminis, ut stellis quodammodo pares earundem et scintillationem et circumfusos radios imitentur. Cum ergo Cometa, vel Galilæo auctore, lumen non a Natura inditum habeat, sed Soli acceptum referat; nosque illum tamquam temporarium planetam existimaremus, cum cæteris non postremæ notæ viris: de eo etiam similiter philosophandum erat, atque de Luna cæterisque errantibus: quorum cum ea sit conditio, ut, quo minus a Sole distant, eo splendeant ardentius, fulgoreque majore vestiti (quod inde consequitur), tubo inspecti minus augeri videantur, dum Cometa ex hoc eodem instrumento idem fere, quod Mercurius, caperet incrementum: an non valde probabiliter inferre inde potuimus, Cometam eumdem non plus admodum circumfusi illius luminis admisisse, quam Mercurium, nec proinde longiori multo a Sole dissitum intervallo* (2)? *Contra vero, cum minus augeretur quam Luna, majori circumfusum lumine,*

(1) *Vedi la Postilla N° LX.*
(2) *Vedi la Postilla N° LXI.*

Digitized by Google

ac Soli viciniorem statuendum? Ex quibus jure dixisse nos intelligit, cum parum admodum augeri visus sit Cometa, multo a nobis remotiorem quam Lunam dicendum esse (1). *Et sane, cum nobis ex parallaxi observata, ex cursu etiam Cometæ decoro ac plane sidereo, satis jam de ejus loco constaret; cum præterea eumdem tubus pari pene incremento ac Mercurium afficeret, contrarium certe nulla ratione suaderet; licuit hinc etiam non minimam momenti ac ponderis appendiculam in nostram derivare sententiam. Quamquam enim sciremus ex multis posse ista pendere, ex ea tamen ipsa, quam lucidum hoc corpus in omnibus suis phœnomenis cum reliquis cœlestibus corporibus servaret analogiam, satis magnum a tubo nos accepisse beneficium tunc putavimus; quod sententiam nostram, aliorum jam argumentorum pondere firmatam, suo etiam suffragio ipse vehementius confirmaret* (2). *Quod autem reliquum est argumento additum, ea videlicet verba « Scio hoc argumentum apud aliquos parvi fuisse momenti » etc., diserte ingenueque supra memoravimus, quorsum hæc addita fuerint; adversus eos nimirum, qui huic instrumento fidem elevantes, opticarum disciplinarum plane ignari, fallax illud ac nulla dignum fide prædicarent. Intelligit igitur, ni fallor, Galilæus, quam immerito nostram de tubo sententiam oppugnarit, quam veritati, imo et suis etiam placitis, nulla in re adversam agnoscit, agnoscere etiam ante poterat, si pacato magis illam animo aspexisset. Quî igitur nobis in mentem veniret unquam, fore aliquando, ut minus hæc illi grata acciderent, quæ prorsus ipsius esse censeremus* (3)? *Sed quando hæc pro nostra sententia satis esse arbitror, ad ipsius Galilæi placita expendenda gradum faciamus.*

(1) *Vedi la Postilla N° LXII.*
(2) *Vedi la Postilla N° LXIII.*
(3) *Vedi la Postilla N° LXIV.*

Digitized by Google

EXAMEN SECUNDUM

QUO GALILÆI OPINIO DE SUBSTANTIA ET MOTU COMETARUM EXPENDITUR

QUÆSTIO I.

An Cometes de genere sit apparentium imaginum.

Quamvis ad hanc usque diem nemo Cometam omni ex parte inania inter spectra numerandum dixerit, ex quo fieret, ut necesse non haberemus illum ab hoc inanitatis crimine liberare (1); *quia tamen Galilæus aliam inire viam explicandi Cometæ satius sapientiusque duxit, par est in novo hoc illius invento diligentius expendendo commorari. Duo sunt quæ ille excogitavit; alterum substantiam, alterum vero motum Cometæ spectat. Quod ad prius attinet, ait, lumen hoc ex eorum genere esse, quæ, per alterius luminis refractionem ostentata verius quam facta, umbræ potius luminosorum corporum quam luminosa corpora dicenda videntur; qualia sunt Irides, Coronæ, Parhelia, aliaque hoc genus multa. Quod vero spectat ad posterius, affirmat, motum Cometarum rectum semper fuisse, ac Terræ superficiei perpendicularem: quibus in medium prolatis, aliorum facile sententias se labefacturum existimavit. Nos, quantum hisce opinionibus tribuendum sit, paucis in præsentia ac sine ullo verborum fuco (quando satis sibi ornata est vel nuda veritas) videamus: et quamquam perdifficile est duo hæc dicta complecti singillatim, cum adeo inter se connexa sint, ut alterum ab altero pendere ac mutuam sibi adjumenti vicem rependere videantur; curabimus tamen ne quid jacturæ lectoribus hinc existat. Quare, contra primum Galilæi dictum, affirmo: Cometam inane lucis figmentum spectantium oculis illudens non fuisse. Quod nullo alio egere argumento apud eum existimo, qui vel*

(1) *Vedi la Postilla N° LXV.*

Digitized by Google

semel Cometam ipsum tum nudis oculis (1), *tum optico Tubo inspexerit. Satis enim, vel et ipso aspectu* (2), *sese hujus natura luminis prodebat, ut ex verissimorum collatione luminum judicare facile quivis posset, fictumne esset an verum quod cerneret. Sane Tycho, dum Thaddæi Hagecii observationes examinat, hæc ex ejusdem epistola profert:* « *Corpus Cometæ, iis diebus, magnitudine Jovis ac* » *Veneris stellam adæquasse, et luce nitida ac splendore eximio,* » *eoque eleganti et venusto, præditum fuisse, et puriorem ejus* » *substantiam apparuisse, quam ut pure elementaribus materiis* » *quadraret, sed potius cœlestibus illis corporibus analogam exti-* » *tisse.* » *Quibus postea hæc Tycho subdit:* « *Atque in hoc sane* » *rectissime sensit Thaddæus, et vel inde etiam non obscure con-* » *cludere potuisset, minime elementarem fuisse Cometam* (3). » *Quia tamen toto eo tempore, quo noster hic fulsit, Galilæus, ut audio, lecto affixus ex morbo decubuit, neque ei unquam fortasse per valetudinem licuit corpus illud pellucidum oculis intueri; aliis propterea cum illo agendum esse duximus argumentis. Ait igitur ipse, vaporem sæpe fumidum ex aliqua Terræ parte in altum supra Lunam etiam ac Solem attolli, et simul atque extra umbrosum Terræ conum progressus Solis lumen aspexerit, ex illius veluti luce concipere et Cometam parere* (4). *Motum autem sive ascensum vaporis hujusmodi, non vagum incertumque, sed rectum nullamque deflectentem in partem existere. Sic ille. At nos harum positionum pondus ad nostram trutinam referemus. Principio materiam hanc fumidam et vaporosam per eos forte dies ascendisse constat e Terra, cum vehementissimis boreæ flatibus toto lato Cœlo dominantibus dispergi facile ac disjici potuisset: ut mirum profecto sit, impune adeo tenuissimis levissimisque corpusculis licuisse inter sævientis aquilonis iras constantissimo gressu, qua cœperant via, in altum ferri; cum ne gravissima quidem pondera tunc aeri semel commissa ejusdem vim atque impetum superare possent. Ego vero adeo pugnare inter se existimo duo hæc, vaporem levissimum ascendere, et recta ascendere, ut inter*

(1) *Vedi la Postilla N° LXVI.*
(2) *Vedi la Postilla N° LXVII.*
(3) *Vedi la Postilla N° LXVIII.*
(4) *Vedi la Postilla N° LXIX.*

Digitized by Google

instabiles saltem aeris hujus vicissitudines fieri id posse vix credam (1). *Illud etiam adde, auctore Galilæo, ne a sublimioribus quidem illis planetarum regionibus abesse concretiones ac rarefactiones hujusmodi corporum fumidorum; ac proinde nec motus illos vagos incertosque, quibus eadem ferri necesse est. Sed demus* (2), *licuisse per ventos halitibus hisce cœptum semel cursum tenere, eoque contendere, ubi solis radios et directos excipere ac repercussos remittere ad nos possent. Cur ibi demum, cum se totis totum plane excipiunt Phœbum, parte sui tantum minima eundem nobis ostendunt* (3)? *Sane, vel ipso Galilæo teste, cum per æstivos dies non absimilis vapor, ad septentrionem forte solito altius provectus* (4), *Soli se spectandum objecerit; tunc enim vero, clarissimo perfusus lumine candidissimum omni se ex parte exhibet, atque, ut ejus verbis utar, borealem nobis, nocturnis etiam in tenebris, auroram refert* (5); *nec mutuati splendoris adeo se avarum præbet, ut, cum toto hauserit Solem sinu, vix una illum e rimula ad nos relabi patiatur* (6). *Vidi egomet* (7), *non per æstivum tantum tempus, sed januario mense, quatuor post Solis occasum horis (quod admirabilius est) vertici fere imminentem, candido ac fulgenti habitu nubeculam, adeo raram* (8), *ut ne minimas quidem stellas velaret: at illa, etiam quæ a Sole acceperat lucis dona, largo apertoque sinu liberalissime undique profundebat* (9). *Nubes denique omnes (si quam tamen illæ cum Cometarum materia affinitatem servant), si densæ adeo fuerint atque opacæ, ut Solis radios libere non transmittant, ea saltem parte, qua Solem respiciunt, eumdem ad nos reciproca liberalitate reflectunt* (10). *At si raræ ac tenues sint, easque facile lux omni ex parte pervadat, nulla se parte tenebricosas ostendunt, sed clarissimo undique perfusas lumine spectandas offerunt* (11). *Si igitur Cometa non ex alia elucet materia, quam ex vaporibus hujusmodi,*

(1) *Vedi la Postilla N° LXX.*
(2) *Vedi la Postilla N° LXXI.*
(3) *Vedi la Postilla N° LXXII.*
(4) *Vedi la Postilla N° LXXIII.*
(5) *Vedi la Postilla N° LXXIV.*
(6) *Vedi la Postilla N° LXXV.*
(7) *Vedi la Postilla N° LXXVI.*
(8) *Vedi la Postilla N° LXXVII.*
(9) *Vedi la Postilla N° LXXVIII.*
(10) *Vedi la Postilla N° LXXIX.*
(11) *Vedi la Postilla N° LXXX.*

Digitized by Google

fumidis, non in unum veluti globum coactis, sed, ut ipse ait, satis amplum Cœli spatium occupantibus, omnique ex parte Solis luce fulgentibus (1); *quid tandem causæ est, cur ex angusto tantum brevique orbiculo spectantibus semper affulgeat, neque reliquæ vaporis ejusdem partes pari a Sole lumine illustratæ unquam compareant* (2)? *Neque facile id Iridis exemplo solvitur* (3), *in cujus productione idem contingit; ut videlicet ex una tantum nubis parte ad oculum relabatur; cum tamen in toto spatio a Sole illustrato, eadem colorum diversitas ejusdem lumine procreetur. Illa enim, et si qua alia hujusmodi sunt, roridam potius humentemque requirunt materiam, et jam in aquam abeuntem; hæc siquidem materia tunc solum, cum in aquam solvitur, lævium ac politorum corporum perspicuorumque naturam imitata, ea tantum ex parte, qua anguli reflexionum refractionumque ad id requisiti fiunt, lumen remittit; ut experimur in speculis, aquis ac pilis crystallinis* (4). *Si qui vero halitus rariores ac sicciores extiterint, hi neque lævem habent superficiem, ut specula, neque multam radiorum refractionem efficiunt. Cum igitur ad reflectiones corporis lævitas* (5), *ad refractiones vero cum perspicuo densitas requiratur (quæ omnia nunquam in meteorologicis impressionibus habentur, nisi cum earum materia aquæ multum habuerit; ut non Aristoteles modo, sed Opticæ etiam magistri omnes docuerunt* (6), *ac ratio ipsa efficacius persuadet), hinc necessario sequitur hujusmodi halitus graviores natura sua futuros, ac proinde minus aptos, qui supra Lunam etiam ac Solem ascendant: cum vel Galilæus ipse fateatur, tenues valde ac leves esse eos debere, qui eousque evolant. Non ergo ex vapore illo fumido ac raro, et nullius revera ponderis, revibrari ad nos poterit fulgidum illud lucis simulacrum; vapor vero aqueus, utpote gravis, in altum ferri nulla ratione poterit* (7).

Quod si forte quis nihilominus affirmare audeat, nihil prohibere, quominus vapor aqueus ac densus vi aliqua altius prove-

(1) *Vedi la Postilla N° LXXXI.*
(2) *Vedi la Postilla N° LXXXII.*
(3) *Vedi la Postilla N° LXXXIII.*
(4) *Vedi la Postilla N° LXXXIV.*
(5) *Vedi la Postilla N° LXXXV.*
(6) *Vedi la Postilla N° LXXXVI.*
(7) *Vedi la Postilla N° LXXXVII.*

Digitized by Google

hatur, ab eoque refractio hæc atque reflexio Cometæ proveniat (nullum enim aliud huic effugium patere videtur, cum longa experientia compertum sit, quo rariora corpora fuerint magisque perspicua, minus ea illuminari, saltem quoad aspectum; magis vero quo densiora, et cum plus opacitatis habuerint: cum ergo Cometa ingenti adeo luce fulgeret, ut stellas etiam primæ magnitudinis ac planetas ipsos splendore superaret (1), *densior ejus materia atque aliqua ex parte opacior dicenda erit* (2): *Trabem enim eodem tempore, quod ejus summa est raritas, albicantem potius, quam splendentem, nullisque radiis micantem vidimus): verum, si densus adeo fuit vapor hic fumidus, ut lumen tam illustre atque ingens ad nos retorqueret, atque, ut Galilæo placet, si satis amplam Cœli partem occupavit; quî tandem factum est, ut stellæ, quæ per hunc subjectum vaporem intermicabant, nullam insolitam paterentur refractionem, neque minores majoresve quam antea comparerent* (3)? *Certe, cum eodem tempore stellarum Cometam undique circumsistentium distantias inter se quam exactissime metiremur* (4), *nihil illas a tychonicis distantiis discrepare invenimus; variari tamen stellarum magnitudines, earumque distantias inter se, ex interpositione vaporum hujusmodi, et experientia nos docuit, et Vitello et Halazen scriptis consignarunt. Aut igitur dicendum est, vapores hosce tenues adeo ac raros fuisse* (5), *ut astrorum lumini nihil officerent (qui tamen Cometæ per refractionem luminis producendo minus apti probati jam sunt); vel, quod longe verius sit, fuisse nullos* (6).

Asserit præterea Galilæus, Cometæ materiam non differre a materia illorum corpusculorum, quæ circa Solem certa conversione moventur, ac vulgo solares maculæ nominantur (7). *Non abnuo; quin illud etiam addo, eo tempore, quo visus est Cometa, nullam per mensem integrum in Sole maculam inspectam, perque raro postea in eodem sordes hujusmodi observatas. Ut non immerito poetarum*

(1) *Vedi la Postilla N° LXXXVIII.*
(2) *Vedi la Postilla N° LXXXIX.*
(3) *Vedi la Postilla N° XC.*
(4) *Vedi la Postilla N° XCI.*
(5) *Vedi la Postilla N° XCII.*
(6) *Vedi la Postilla N° XCIII.*
(7) *Vedi la Postilla N° XCIV.*

Digitized by Google

aliquis hinc accipere occasionem ludendi possit: per eos forte dies Solem solito diligentius os lucidissimum aqua proluisse, cujus per Cœlum dispersis loturæ reliquiis Cometam ipse conformaverit, miratusque sit postea clarius multo sordes suas fulgere, quam stellas. Sed quid ego etiam nunc poeticas consector nugas? Ad me redeo. Sit ergo eadem Cometæ, et solarium, ut ita loquar, variolarum materia: cum igitur hæc, Cometam paritura, recto ac perpendiculari sursum semper feratur motu, quid illud postea est, quod eam circa Solem in orbem agit, cogitque perpetuo, dum Solis vultum maculis illis deturpat, eamdem in partem per lineas Ecliptícæ parallelas circumvolvi (1)*? Si enim levium natura est sursum tantummodo ferri, quid ergo vapor unus atque idem modo recta sursum agitur, modo in orbem certis adeo legibus rotatur? Ac si forte quis dixerit, hunc quidem vi sua summa semper rectissimo cursu petere, at, ubi propius ad Solem accesserit, ejus nutibus obsequentem eo moveri, quo regia Domini virtus annuerit: mirabor profecto, dum reliqua corpora eadem materia constantia avide adeo Solem complectuntur, unum Cometam, proximum Soli natum, illud votis omnibus optasse, ut a Sole abesset quam longissime; maluisseque, gelidos inter Triones obscuro loco extingui, quam, cum posset, Solis inter radios Soli ipsi objectu corporis sui tenebras offundere* (2)*. Sed hæc physica potius sunt, quam mathematica.*

Venio nunc ad opticas rationes, quibus longe probatur efficacius, Cometam nunquam vanum spectrum fuisse, neque larvatum unquam nocturnas inter tenebras ambulasse; sed uno se omnibus loco, unum eumdemque, vultu quo semper fuit, spectandum præbuisse. Quæcumque enim ea sunt, quæ per refractionem luminis appareant verius quam sint, ut Iris, Corona, aliaque hujusmodi; ea semper lege producuntur, ut luminosum corpus, ex cujus existunt lumine, quocumque illud sese converterit, sequaci obsequentique motu consequantur. Ita Iris IHL (Tab. I, Fig. IV)*, quæ Sole existente in horizonte A verticem sui semicirculi habet in H, si Sol intelligatur elevari ex A usque ad D, descendet ipsa ex opposita parte, et verticem sui arcus H ad horizontem inclinabit; et quo altius Sol elevabitur, eo magis Iridis vertex H deprimetur. Ex quo patet,*

(1) *Vedi la Postilla N° XCV.*
(2) *Vedi la Postilla N° XCVI.*

Digitized by Google

eamdem semper in partem Iridem moveri (1), *in quam Sol ipse fertur. Idem observari potest in Areis, Coronis et Parheliis: hæc siquidem omnia, cum luminosum, a quo fiunt, certo intervallo coronent, ad illius etiam motum in eadem semper partem feruntur. Idem etiam apertissime deprehenditur in imagine luminosa, quam Sol ad occasum flectens in superficie maris ac fluminum formare solet: hæc enim, quo magis a nobis Sol removetur, eo etiam abscedit magis, donec illo occumbente evanescat* (2). *Sit enim superficies maris visa BI* (Tab.I, Fig.V), *insensibiliter a plana superficie differens; sit oculus in litore positus in A, Sol primum in F. Ducantur ad D radii FD, DA, facientes angulos ADB, FDE incidentiæ et reflexionis æquales in D: videbitur ergo lumen Solis in D. Descendat jam idem Sol ad G, atque eadem ratione qua prius ducantur a Sole G atque ab oculo A duæ lineæ, facientes cum recta BE angulos incidentiæ et reflexionis æquales: hæ coincident in puncto E, et non alio, ut est manifestum; lumen ergo Solis apparebit in E: et propter eamdem causam, Sole magis adhuc depresso in H, lumen apparebit in I. Contrarium vero accidit, quotiescumque idem lumen a Sole oriente in aquis producitur; tunc enim, sicuti Sol magis ad verticem nostrum accedit, ita et lumen spectanti fit propius: prius enim, verbi gratia, apparebit in I, secundo in E, tertio in D. Ex quibus quilibet intelligat, in eam semper partem isthæc apparentia moveri, in quam luminosa ipsa a quibus producuntur feruntur. Cum ergo ex Solis lumine Cometa, sine controversia, producatur, Solis etiam motum sequi debuit; quod si non præstitit, inter apparentia lumina numerandus non erit. Ajo igitur, in Cometa nihil unquam tale observatum fuisse. Cum enim primo, quo visus est die, hoc est 29 novembris, Sol in gradu Sagittarii 6, 43' reperiretur, atque ad Capricornum etiam tunc tenderet; necessario singulis sequentibus diebus usque ad 22 decembris, in quocumque verticali depressior fieri debuit. Et si motus hic attendatur, Sol ab Æquatore magis et magis in austrum movebatur: quare, si de genere refractorum luminum aut repercussorum fuit Cometa, in austrum etiam ferri debuit; a quo tamen motu tantum abfuit, ut in septentrionem potius tendere voluerit; ut fortasse, vel ex hoc, suam Galilæo testaretur*

(1) *Vedi la Postilla N° XCVII.*
(2) *Vedi la Postilla N° XCVIII.*

Digitized by Google

libertatem, doceretque, nihil se amplius a Sole habuisse, quam homines habeant in ejusdem Solis luce ambulantes, et, quo sua illos libido impulerit, libere contendentes. Quod si quis forte hoc loco aliam aliquam reflexionis refractionisve regulam a superioribus diversam invexerit, quam Cometis tribuendum, nescio qua occulta prærogativa, existimet; illud saltem statuendum est, ut, quam semel admiserit motus regulam, servet postea exacte. Sit igitur, quando hoc aliquis vult, ut libet. Fuerit Cometarum, non Solis motu provehi, sed contrario; ut proinde, dum hic in austrum tenderet, illi in septentrionem aufugerent: debuerant ergo iidem illi, Sole ad septentrionem redeunte, in austrum contra, propter eamdem rationem, moveri. Cum ergo a die 22 decembris, hoc est a solstitio brumali, in septentrionem iterum Sol regrederetur, debuit noster Cometa in austrum contra, unde discesserat, remeare; hic tamen constantissime eumdem semper motus tenorem in septentrionem servavit: ex quo satis constare potest, nullam cum Solis motu cognationem habuisse incessum Cometæ; cum, sive in hanc sive in illam partem moveretur Sol, eadem ille, qua primum cœperat, semita progrederetur.

Præterea, si de apparentium simulacrorum numero Cometa fuit, debuit ad certum ac determinatum angulum spectari; quod Iride, Area, Corona aliisque hujusmodi accidit. Meminisse autem hoc loco debet Galilæus, se affirmasse, satis amplum Cœli spatium hujusmodi vaporibus occupatum: quod si ita est, ajo, circularem vel circuli segmentum apparere Cometam debuisse. Sic enim argumentari libet. Quæcumque sub uno certo ac determinato angulo conspiciuntur, ibi videntur ubi certus ille ac determinatus angulus constituitur; sed pluribus in locis, in circulari linea positis, determinatus hic et certus Cometæ angulus constituitur; ergo pluribus in locis, in linea circulari dispositis, Cometa videbitur. Major certissima est, neque ullius probationis indigens. Minorem sic probo. Sit sol infra horizontem in I (Tab. I, Fig. VI), *locus vaporis fumidi circa A, Cometa vero ipse sese, v. g., spectandum ostendat in A, posito oculo in D: occupet autem vapor idem et alias partes circa A constitutas, quod Galilæus ultro concedit. Intelligatur jam ducta linea per centrum Solis I, et per centrum visus D: ex punctis vero I et D ad locum Cometæ A concurrant radii IA, DA, constituentes triangu-*

Digitized by Google

lum IAD; erit ergo angulus IAD ille certus et determinatus, sub quo ad nos Cometæ species remittitur. Concipiamus jam circa axem IDH triangulum IAD moveri; tunc vertex illius A describet segmentum circuli, in quo semper radii Solis, IA directus et AD reflexus, angulum eumdem IAD efficient: cum autem in hac verticis A circumductione multæ ab illo circumfusi vaporis partes attingantur, in iis omnibus fiet determinatus ille ac certus angulus, ad quem Cometa necessario consequitur: in toto ergo circuli segmento BAC, quod vaporem attingit Cometa comparebit; eadem prorsus ratione, qua in roridis nubibus Irides et Coronas fieri contingit aut circulares, aut circulorum segmenta. Cum ergo nihil tale in Cometa observatum fuerit, non erit proinde in apparentium simulacrorum numero collocandus; cum nulla in re hic illis se similem præbeat.

Sed placet, ex ipsius etiam Galilæi verbis, hoc idem confirmare. Ait enim ipse (1), *quod etiam fortasse verissimum est, spectra hujusmodi et vana simulacra eam in parallaxi legem servare, quam servat luminosum illud corpus a quo proveniunt. Ita, si qua illorum Lunæ effecta fuerint, hæc parem cum Luna parallaxim pati; quæ vero a Sole fiunt, eamdem cum Sole aspectus diversitatem sortiri. Præterea, dum adversus Aristotelem disputat, et argumentum ex parallaxi ductum assumit, hæc habet: « Denique Co-» metam ignem esse, ac sublunarem asserere, omnino impossibile » est; cum obstet parallaxis exiguitas, tot insignium Astronomorum » solertissima inquisitione observata* (2). » *Ex quibus ita rem confecio. Auctore Galilæo, quæcumque mere apparentia a Sole producuntur, illam eamdem patiuntur parallaxim quam patitur Sol; sed Cometa non passus est eamdem parallaxim quam Sol patitur: ergo Cometa non est apparens quid a Sole productum. Si quis autem de minori hujus argumenti propositione ambigat, Tychonis observationes cum observationibus aliorum conferat, dum agunt de Cometa anni* 1577. *Ipse certe Tycho ex suis observationibus illud tandem deducit, demonstratam nimirum distantiam Cometæ a centro Terræ, die* 13 *novembris, fuisse semidiametrorum ejusdem Terræ* 211 *tantum, cum Sol ab eodem centro ponatur distare semidiametris*

(1) *Vedi la Postilla N° XCIX.*
(2) *Vedi la Postilla N° C.*

Digitized by Google

saltem 1150, *Luna vero semidiametris* 60. *De hoc vero nostro, si quis eas observationes inter se contulerit quas in disputatione ab uno ex Patribus habita edidit in lucem Magister meus, satis illi inde constabit hujus propositionis veritas; nam fere semper longe majorem Cometæ parallaxim inveniet, quam Solis. Neque observationes hujusmodi Galilæo suspectæ esse possunt, cum easdem summorum Astronomorum opera exquisitissime ad Astronomiæ calculos castigatas testatus sit.*

Denique neque illud omittendum, quod vel unum, homini veritatis potius investigandæ quam altercandi cupido, satis id quod agimus persuadere possit. Experimur enim quotidie, ea omnia, quibus certa ac stabilis species non est, sed vana colorum ac lucis imagine hominum illudunt oculis, angustissimis vitæ spatiis finiri, brevissimo etiam temporis intervallo varias sese in formas mutare; modo extingui, modo iterum accendi; nunc pallescere, nunc ardentiori luce micare; partes illorum nunc interrumpi, nunc iterum coalescere: nunquam denique eadem diu specie apparere. Quæ omnia, si cum Cometæ stabili motu aspectuque conferantur, ostendent, quanta demum, inter illum atque hujusmodi vanas imagines, morum ac naturæ discordia sit. Quare si nihil plane reperias, in quo se illis Cometa similem probet, cur non potius, nullam cum iisdem Naturæ affinitatem aut cognationem habere dixeris? Dixerunt enimvero Philosophorum antiquissimi atque optimi, dixerunt recentiorum eruditissimi: unus nunc Galilæus illis repugnat; at Galilæo, nisi fallor, repugnare veritas videtur.

QUÆSTIO II.

An Cometæ aspectus per motum rectum et ad Terram perpendicularem explicari possit.

Venio nunc ad motum, quem rectum fuisse Galilæus asserit, ego tamen diserte nego. Ea primum ratio hoc mihi persuadet ut faciam, quam ipse solvere vel nescire se, vel non audere, ingenue profitetur. Illa enim ratio adeo aperta est, adeoque ad hunc motum

Digitized by Google

dissuadendum efficax, ut, cum forte id maxime vellet, dissimulare tamen eam non potuerit (1). « *Si enim (verba ejus sunt) solus hic* » *motus Cometæ tribuatur, explicari non potest, qui factum sit,* » *ut non ad verticem solum magis ac magis accesserit, sed ulte-* » *rius ad polum usque pervenerit: quare vel præclarum hoc in-* » *ventum abjiciendum, quod sane haud sciam, vel motus alius* » *addendus, quod non ausim* (2). » *Ubi mirandum sane est, hominem apertum ac minime meticulosum repentino adeo timore corripi, ut conceptum sermonem proferre non audeat. Ego vero non is sum, qui divinare norim: quæro igitur, an motus hic alius, quo belle explicare omnia posset nec eum proferre audet, vapori huic cometico tribuendus sit, an alii cuipiam, ad cujus postea motum moveri in speciem tantum videatur Cometa. Non primum, arbitror; hoc enim esset motum illum rectum et perpendicularem destruere: siquidem, si vapor ex Terra, æquatori v. g. subjecta, motu perpendiculari sursum ascendat, et motu alio idem ipse in septentrionem feratur, motus hic secundus necessario priorem destruet; quod si nihilominus ad septentrionem moveri, saltem in speciem, videatur, ad alterius alicujus corporis motum id consequi dicendum erit. Certe dum Galilæus ait, eum motum, qui addendus esset, causam tantummodo futurum apparentis deviationis Cometæ, satis aperte innuit, motum hunc in alio quam in vapore cometico ponendum esse, cum illum apparenter solum ad septentrionem moveri velit. Quod si ita est, non video, cujusnam corporis hic futurus sit motus. Cum enim nulli Galilæo sint cœlestes Ptolemæi orbes, nihilque, ex ejusdem Galilæi systemate, in Cælo solidi inveniatur; non igitur ad motum eorum orbium, quos nusquam reperiri existimat, Cometam moveri putabit. Sed audio hic mihi, nescio quem, tacite ac timide in aurem insusurrantem Terræ motum. Apage dissonum veritati, ac piis auribus asperum verbum. Næ, tu caute id submissa insusurrasti voce; sed si ita res se haberet, conclamata esset Galilæi opinio, quæ non alii quam huic falso inniteretur fundamento. Si enim Terra non moveatur, motus hic rectus cum observationibus Cometæ non congruit; sed Terram certum est, apud Catholicos, non moveri; erit ergo æque certum,*

(1) *Vedi la Postilla N° CI.*
(2) *Vedi la Postilla N° CII.*

Digitized by Google

motum hunc rectum cum observationibus cometicis minime concordare, ac propterea ineptum ad rem nostram judicandum: neque id ego unquam Galilæo in mentem venisse existimo, quem pium semper ac religiosum novi. Verum, ni fallor, non quilibet Cometæ motus Galilæum torsit, coegitque aliquid aliud prœterea excogitare quod proferre vel nesciat, vel non audeat; sed is tantum, quo ultra nostrum verticem, seu Zenith, propius ad polum accessit. Si igitur ultra verticem Cometa progressus non fuisset, nil erat quod de hoc alio motu cogitaret. Hoc enim ipsemet verbis illis innuere videtur, quibus ait: « si nullus alius ponatur motus, quam rectus » ac perpendicularis, tunc ad nostrum tantum verticem recta Come» tam ascensurum, non tamen progressurum ulterius (1).» *Demus igitur, nullum unquam Cometam verticem nostrum prætergressum: ajo tamen, ne sic quidem ejus cursum explicari posse motu hoc recto. Sit enim Terræ globus ABC* (Tab. I, Fig. VII), *locus ex quo vapor ascendit sit B, oculus vero spectantis in A, visusque sit primum Cometa v. g. in E, et locus eidem respondens in Cœlo sit G. Intelligatur moveri Cometa sursum in linea BO per partes æquales EF, FM, MO. Affirmo, quantumvis vapor ille per lineam DO ascendat, etiam in omni æternitate nunquam ad verticem nostrum, ne apparenter quidem, perventurum. Ducatur enim linea AR ipsi BO parallela: nunquam tantus erit Cometæ motus apparens, quantus est arcus GR, et nunquam radius visualis coincidet cum linea AR. Cum semper radius visivus concurrere debeat cum recta BO, in qua apparet Cometa, cumque radius AR sit lineæ BO parallelus, non poterit cum illa unquam concurrere, ex definitione Parallelarum: ergo nunquam radius, per quem Cometa videtur, poterit ad R pervenire; et consequenter motus apparens Cometæ non solum non perveniet ad nostrum verticem S, sed neque ad punctum R, quod longissime adhuc a vertice distat. Apparebit enim primo in G, secundo in F, tertio in I, deinde in L etc.; sed nunquam perveniet ad R.*

Prœterea quoniam, ut Galilæus ipse fatetur, Cometæ motus in principio velocior visus est, et paulatim postea remitti; videndum est, in qua proportione hæc motus remissio procedere debeat in hac linea recta. Certe, si Galilæi figuram expendamus, quando

(1) *Vedi la Postilla N° CIII.*

Digitized by Google

Cometa fuerit in E apparebit in G; cum vero paria percurrens spatia EF, FM, MO motum suum apparentem in punctis FIL ostendet, videbitur motus ejus decrescere decrementis maximis; nam arcus FI vix est medietas ipsius GF, et IL ipsius FI, atque ita de reliquis: debuit ergo Cometæ motus apparens in eadem proportione decrescere (1). *Secundum autem est, motum Cometæ observatum non in hac proportione decrevisse; immo primis diebus adeo exiguum ipsius decrementum fuisse, ut non facile animadverteretur. Cum enim in suo exordio tres circiter gradus quotidie percurreret, diebus jam* 20 *elapsis, vix quidquam de illa priori contentione remisisse visus est. Immo, si in judicium advocentur Cometæ duo tychonici annorum* 1577 *et* 1585, *ex ipsorum motibus apertissime colligemus quam longe abfuerint ab immani hoc decremento. Si quis jam ex me quærat, quantus tandem futurus sit Cometæ motus per lineam hanc rectam ascendentis, respondeo: si Cometa tunc primum appareat, cum vapor ex quo producitur non longe abest a Luna (quod valde probabile est), et præterea ponamus locum, ex quo in Terræ globo fumus ille ascendit, distare a nobis gradibus* 60, *respondeo, inquam, apparentem Cometæ motum toto durationis suæ tempore non absoluturum gradum unum et min.* 31 (2). *Sit enim Terræ globus* (Tab. I, Fig. VIII) *ABC, Lunæ concavum GFH distans a centro D Terræ semidiametris* 33, *ex Ptolemæo (Tycho enim duplam fere ponit distantiam, quod magis e re mea foret); sitque A locus ex quo spectatur Cometa, B vero locus ex quo vapor ascendit. Dico, cum visus fuerit Cometa in E, futurum angulum DEA grad.* 1 *min.* 31; *ac proinde, si ducatur AF parallela ipsi DE, erit etiam angulus FAE grad.* 1 *min.* 31, *cum sit alternus ipsi DAE inter easdem parallelas: duæ ergo lineæ AE, AF intercipient in Firmamento arcum grad.* 1 *min.* 31; *sed ad lineam AF parallelam ipsi DE nunquam perveniet Cometa, ut probavimus superius: ergo nunquam absolvet motum grad.* 1 *min.* 31. *Quod autem angulus DEA futurus sit in concavo Lunæ grad.* 1 *min.* 31, *probatur. Quia, cum cognitus sit, ex suppositione, angulus EDA grad.* 60 *in triangulo ADE, et præterea latus AD unius Terræ semidiametri, et latus DE semidiam.* 33; *si fiat: ut* 34, *aggregatum duorum late-*

(1) *Vedi la Postilla N° CIV.*
(2) *Vedi la Postilla N° CV.*

Digitized by Google

rum AD, DE, ad 32, *differentiam eorundem laterum, ita* 173,205, *tangens dimidii summæ reliquorum duorum angulorum, hoc est tangens anguli grad.* 60, *ad quartum numerum; invenietur* 163,016, *tangens anguli grad.* 58 *min.* 29: *qui, detracti ex grad.* 60, *hoc est ex dimidio duorum reliquorum angulorum, relinquent angulum DEA quæsitum grad.* 1 *min.* 31, *ex regulis trigonometricis.*

Jam vero quamvis Terra non moveatur, neque tutum homini pio sit id asserere, si quis tamen scire ex me cupiat, an per motum Terræ possit hic Cometæ cursus per rectam lineam explicari, respondeo: si nullus alius in Terra motus concipiatur, præter eum quem Copernicus excogitavit, ne sic quidem motu hoc recto salvari Cometæ phænomena. Quamvis enim per motum Copernici annuum Sol, ex ipsius sententia, videatur ab æquatore modo in austrum modo in septentrionem flectere (quem tamen ipse immobilem existimat), quilibet tamen horum motuum integro semestri completur; et brevi illo spatio dierum 40, *quo ferme Cometa comparuit, parum admodum Sol moveri visus est, hoc est per gradus tres; neque multo major, ex hoc Terræ motu, videri potuit Cometæ apparens deviatio: cui etiam si addatur totus ille motus, qui ex incessu illo recto apparenter oriretur, nunquam motum Cometæ observatum exæquabit.*

Atque hæc quidem, si omnium, quotquot adhuc fuerunt, Cometarum motus æque certus ac regularis fuisset: at si alios etiam in quæstionem vocemus, quorum motus longe diversus ab his fuit, multo clarius ex illis constabit, possit ne Cometis motus hic rectus præscribi. Adi igitur Cardanum; hæc apud illum, ex Pontano, leges: « Cometes tenui capite comaque admodum brevi » a nobis conspectus est, qui mox miræ magnitudinis factus ab » Ortu in Septentrionem cœpit deflectere, nunc citato motu nunc » remisso; et quoad Mars Saturnusque regrederentur, ipse aver- » sus, coma prægrediente, ferebatur, donec ad Arctos pervenit: » unde, cum primum Saturnus et Mars recto cursu pergere » cœperunt, in Occasum iter flexit, tanta celeritate, ut die uno 30 » *grad. emensus sit, atque, ubi ad Arietem et Taurum commeavit, » videri desiit. » Præterea apud eumdem, ex Regiomontano, hæc habes: « Idibus januariis anno Domini* 1475 *visus est nobis Cometa » sub Libra cum stellis Virginis, cujus caput tardi erat motus*

Digitized by Google

» *donec propinquum esset Spicæ; nunc incedebat per crura Bootis* » *versus ejus sinistram, a qua discedendo, die uno naturali,* » *portionem circuli magni grad.* 40 *descripsit, ubi cum esset in* » *medio Cancri maxime distabat ab Orbe signorum grad.* 67; *et* » *tum per duos polos Zodiaci et Æquinoctialis ibat, usque ad* » *intermedia pedum Cephæi, deinde per pectus Cassiopeæ super* » *Andromedæ ventrem; post, gradiendo per longitudinem Piscis* » *septentrionalis, ubi valde remittebatur motus ejus, propinquabat* » *Zodiaco etc.* » *Quare in principio ac fine tardissimi fuit motus, in medio vero celerrimi: quod motui isti per lineam rectam apertissime repugnat; hic enim semper in principio velocior est, postea sensim remittitur: cui tamen adhuc apertius obstat prior Cometa Pontani, in principio tardus, in fine velocissimus. Audi illum in Meteoris ita concinentem:*

Nam memini quondam, Icario de sidere lapsum
Squalentem præferre comam, tardoque meatu
Flectere sub gelidum Boreæ penetrabilis orbem:
Hinc rursum præferre caput, cursuque secundo
Vertere in Occasum, ac laxis insistere habenis;
Donec Agenorei sensit fera cornua Tauri.

In his duobus porro Cometis difficilius multo motus ille rectus explicari potest; cum hi, brevissimo temporis spatio, integrum semicirculum maximum motu suo percurrerint, cui motui explicando perexiguo futurus est adjumento quicumque Terræ motus. Neque hoc loco catalogum Cometarum, variorumque illorum motuum, texere mei est instituti; si quis vero eos adeat, qui de his egerunt, multa inveniet quæ cum motu hoc recto stare nulla ratione possunt. Satis igitur superque de Cometæ substantia ac motu dictum.

Quæstio III.

An caudæ curvitas ex refractione oriri possit.

Reliqua nunc est Cometæ coma, seu barba, vel, si mavis, cauda, quæ sua illa curvitate non parum Astronomis negotii facessit: in

Digitized by Google

qua tamen explicanda triumphare plane sibi videtur Galilæus. Verum illud primum hoc loco ei suggerere habeo, nihil esse quod novum hunc modum comarum explicandarum sibi adscribat; nihil ipsum sua hac in disputatione protulisse, quod Keplerus multo ante non viderit, et scriptis planissime consignarit. Nam dum rationes inquirit, cur Cometarum caudæ curvæ aliquando videantur, ait, id non ex parallaxi oriri, quod alio etiam loco probat, neque ex refractione, multa in hanc sententiam afferens; ubi tandem ait, hoc phænomenon inter Naturæ arcana relinquendum. Hoc igitur præmissum volui, quandoquidem ipse ait, se vidisse neminem, qui hac de re scripserit, præter Tychonem. Hoc uno inter se differunt Keplerus et Galilæus, quod hic iis rationibus assentitur, quas non tanti ponderis ille existimavit, ac propterea sub judice litem relinquendam statuit. Sed videamus jam, an ex refractione (quod Galilæus asserit) hujus caudæ curvitas oriri potuerit: neque enim eas leges illa servasse videtur, quas eidem ipse præscribit; ut nimirum quoties ad horizontem inclinaretur, eidemque fere incederet parallela, ac plures verticales intersecaret, tunc solum curvaretur; ubi vero ad verticem nostrum spectaret, illico dirigerentur: nam vix tribus quatuorve diebus suam illam primam curvitatem servavit, idque sive horizonti proxima, sive ab eodem remota; postea vero declinare quidem visa est ab ea linea, quæ per Cometæ caput a Sole recta duceretur, sed nullam curvitatem præ se tulit; cum tamen sæpissime ductus illæ caudæ ad horizontem inclinatus compareret. At si ita se res haberet ut Galilæus asserit, longe rectior videri debuisset in ipso exortu, quam cum altius elevaretur. Sæpissime enim ita ab horizonte ascendit, ut tota in eodem fere verticali existeret; in ascensu vero ipso fiebat ad horizontem inclinatior, et plures verticales intersecabat: ut ex globo ipso cognoscere quivis potest, si observet, exempli gratia, in globo aliquo cœlesti locum Cometæ et ductum caudæ respondentem diei 20 decembris. Transibat enim tunc coma inter duas postremas stellas caudæ Ursæ majoris, ipsum vero Cometæ caput distabat ab Arcturo grad. 25 min. 54, a Corona vero grad. 24 min. 25. Si igitur locus Cometæ in globo inveniatur, et ductus caudæ describatur, in ipsa globi circumvolutione apparebit cauda ab horizonte emergens, in uno fere verticali, mox, altius provecta, fiet ferme horizonti parallela; et

Digitized by Google

tamen hæc, ne in hac quidem positione, curvitatem ullam ostendit (1).

Præterea non video, quî fieri possit, ut adeo secure asseveret Galilæus, vaporosam regionem ipsi Terræ sphærice circumfundi; cum tamen ipse hujusmodi vapores altius alicubi elevari, quam alibi, constantissime doceat, dum suam de motu recto sententiam astruere nititur. Immo vero Cometas ipsos non aliunde, quam ex ipsis vaporibus Terræ, umbrosum conum prætergressis, formatos dictitat. Quid ergo, si hic vapor a Terræ superficie absit passuum millibus, ibi vero ultra mille leucas protendatur; an sic etiam Sphæræ figuram servabit vaporosa isthæc regio? Certe qui ad hanc diem Sphæræ rudimenta tradiderunt (2), *ii mediam aeris partem, quæ maxime vaporibus constat (si quam tamen illa certam figuram servat), sphæroidalem potius, seu ovalem esse* (3), *quam rotundam docent; cum in iis partibus, quæ polis subjectæ sunt, vapores minus a Sole solvantur, eleventurque proinde altius quam in iis, quæ æquinoctiali circulo et torridæ Zonæ subjacent, ubi a calore finitimi Solis facillime dissolvuntur. Si ergo vaporosa hæc regio sphærica non est, nec æquis ubique intervallis a Terra removetur, neque æqualem in omnibus partibus crassitiem et densitatem servat; caudæ curvitas ex ejusdem regionis rotunditate, quæ nusquam est, existere nunquam poterit. Atque hæc de Galilæi sententia, in iis quæ Cometam immediate spectant, dicta sunt. Plura enim dici vetat ipsemet, qui in bene longa disputatione quid sentiret, paucis admodum atque involutis verbis, exposuit* (4), *nobisque plura in illum afferendi locum præclusit. Quî enim refelleremus quæ ipse nec protulit, neque nos divinare potuimus? Ad reliqua nunc accedamus* (5).

(1) *Vedi la Postilla N° CVI.*
(2) *Vedi la Postilla N° CVII.*
(3) *Vedi la Postilla N° CVIII.*
(4) *Vedi la Postilla N° CIX.*
(5) *Vedi la Postilla N° CX.*

Digitized by Google

EXAMEN TERTIUM

QUARUNDAM GALILÆI PROPOSITIONUM SEVERIUS CONSIDERATARUM

Propositio I.

Aer et exhalatio ad motum Cœli moveri non possunt.

Antequam ad nonnullas Galilæi propositiones accuratius expendendas, quod nunc molior, accedam, illud testatum omnibus velim, nihil hic minus velle me, quam pro Aristotelis placitis decertare: sintne vera an falsa magni illius viri dicta, nil moror in præsentia: illud unum interim ago, ut ostendam, admotas a Galilæo machinas minus firmas ac validas fuisse, ictus irritos cecidisse; atque, ut apertissime dicam, præcipuas positiones, quibus veluti fundamentis universa disputationis ipsius moles innititur, nonnullam fortasse veritatis speciem præseferre (1), *illas vero si quis diligentius introspexerit, falsas, ut arbitror, deprehensurum.*

Dum igitur is Aristotelis sententiam refutare conatur, illud inter cætera habet, ad Cœli lunaris motum circumferri Aerem non posse, ex quo postea consequitur, neque per hunc motum accendi, quod inde deducebat Aristoteles. « Cum enim, inquit » Galilæus, cœlestibus corporibus figura perfectissima debeatur, » dicendum erit, concavam hujus Cœli superficiem sphæricam esse » ac politam, nullamque admittere asperitatem: politis autem lævi- » busque corporibus neque Aer, neque Ignis adhæreseit (2); » *quare hæc neque ad motum illorum movebuntur: » quæ omnia probat argumento ab experientia ducto. « Si enim, inquit, circa » suum centrum circumvagatur vas aliquod hemisphæricum, politum » ac nullius asperitatis, inclusus Aer ad ejus motum non move-*

(1) *Vedi la Postilla N° CXI.*
(2) *Vedi la Postilla N° CXII.*

Digitized by Google

» *bitur; quod persuadet accensa candela internæ superficiei vasis* » *proxime admota, cujus flamma nullam in partem ad vasis* » *motum sese convertet; at si Aer ad motum raperetur, secum* » *etiam flammam illam traheret.*» *Hactenus Galilæus. In his porro quædam reperias quæ tamquam certa assumuntur, et certa non sunt; alia vero quæ etiam pro certis habentur, et falsa comprobantur. Primum enim, dictum illud quo asserit, concavo lunari sphæricam et politam figuram deberi, si quis negarit, qua via quave ratione contrarium evincet* (1)? *Nam si lævitas atque rotunditas cælestibus corporibus debetur, ideo debetur maxime, ne eorumdem motus impediatur. Si enim superficies, secundum quas sese contingunt orbes illi, asperitatem aliquam admitterent, asperitas hæc procul dubio remoraretur eorum motum. Præterea extima summi Cœli superficies ideo rotunditatem requirit, ex Aristotele, ne si forte angulis constet, ad ejus motum vacuum existat. Hæc autem omnia nullam prorsus vim habent in re nostra. Si enim concava hæc lunaris Cœli superficies nec rotunda nec lævis sit, sed aspera et tuberosa, nihil absurdi consequitur; cum ejus motui obsistere non possit corpus illi proximum, sive Aer sive Ignis sit, neque vacuum ullum sequatur, succedente semper uno corpore in alterius locum* (2). *Præterea si hæc asperitas admittatur, longe melius servatur corporum omnium mobilium nexus* (3); *sic enim ad motum Cœli moventur superiora elementa, ex quorum motu multa gigni, multa destrui quotidie videmus. Verum dum Galilæus nobilissimis corporibus rotundam figuram deberi asserit, numquid homines, Cœlo longe nobiliores, idcirco teretes atque rotundos optabit* (4)? *Quos tamen quadratos, ex sapientum oraculis, malumus. Dixerim igitur potius, eam cuique figuram tribuendam, quæ ad ejusdem finem consequendum sit aptissima. Ex quo non immerito aliquis sic inferat: Cum ergo Lunæ concavum inferiora hæc sublimioribus illis orbibus nectere, quodammodo, ac colligare debeat, asperum potius ac tenax, quam politum ac læve, fabricandum fuit.*

Sed quid ergo adversus Galilæum argumenta aliunde con-

(1) *Vedi la Postilla N° CXIII.*
(2) *Vedi la Postilla N° CXIV.*
(3) *Vedi la Postilla N° CXV.*
(4) *Vedi la Postilla N° CXVI.*

Digitized by Google

quiro, quando ea ipse mihi abunde suppeditat? Nihil apud illum verius, quam Lunam non asperam modo esse, sed alterius Telluris in modum Alpes suas, Olympum, Caucasum suum habere, in valles deprimi, in campos latissimos extendi, Lunæ certe montes in Luna desiderari non posse. An non cœleste corpus ac nobilissimum est Luna? Numquid non longe nobilius quam Cœlum ipsum, quo veluti curru vehitur, quod veluti domum inhabitat? Cur igitur Luna tornata non est, sed aspera ac tuberosa? Stellæ ipsæ, an non, Galilæo teste, figura varia atque angulari constant? Quid autem inter sublimes substantias nobilius? Addo etiam, ne Solem quidem, si aspectui credas, hanc adeo nobilem figuram sortitum; dum in illo faculæ quædam conspiciuntur reliquis longe partibus clariores, quæ vel asperum, vel non æque undique lumine perfusum, eumdem ostendunt (1). *Quare si nihil hæc Galilæi ratio persuadet, licetque in concavo lunari asperitatem admittere; nemo, arbitror, negabit, ad ejus motum ferri exhalationes atque Aerem posse. Asperitatem autem hanc admittendam non esse, non facile probarit Galilæus. Illud hoc loco omittendum non est, quod in Epistola 3 ad Marcum Velserum ipse habet, hoc est, solares maculas fumidos vapores esse ad motum solaris corporis circumductos. Vel igitur solare corpus politum est ac læve, et non poterit hujusmodi vapores circumferre; vel asperum est et tuberosum, atque ita nobilissimum inter cœlestia corpora neque sphæricum, nec politum. Præterea in Epistola 2 ad eumdem Marcum, ait: « Solem circa suum centrum ad » ambientis motum rotari; corpus autem ambiens ipso etiam Aere » longe tenuius esse debet. » Quare, si corpus solare solidum ad motum circumfusi corporis rarissimi et tenuissimi movetur, non video, cur postea Cœlum ipsum solidum motu suo secum rapere non possit corpus inclusum, quamvis tenuissimum, quale est sphæra elementaris* (2).

Sed demus Galilæo, orbis hujus interiorem superficiem tornatam ac lævem esse: nego, lævibus corporibus Aerem non adhærescere. Lamina certe vitrea B (Tab. II, Fig. I) *aquæ imposita, quamvis lævissima sit, non minus quam si foret alterius asperioris materiæ natabit, adhærensque illi Aer aquam AC circa vitrum per*

(1) *Vedi la Postilla N° CXVII.*
(2) *Vedi la Postilla N° CXVIII.*

Digitized by Google

vim sese attollentem continebit, ne diffluat et laminam obruat. Cur igitur inde non abscedit Aer, dum descendentis aquæ pondere e vitrea lamina truditur, sed hæret illi mordicus, nec nisi majori vi pulsus loco cedit? Præterea, si quis, lapideam forte tabulam politissimam nactus, corpus aliud grave æque politum eidem imposuerit, postea vero subjectam tabulam huc illuc trahat, impositum æque corpus quo voluerit trahet; et tamen, si pondus quo corpus illud tabulæ innititur auferas, id huic non adhærebit. Tota igitur ratio, quæ ad tabulæ motum corpus etiam impositum moveri cogit, ex illa compressione oritur, qua grave illud tabulam subjectam premit. Jam sicuti ex eo, quod alterum horum corporum ab altero premitur, ad ejus motum hoc etiam moveri necesse est; ita assero, concavum Lunæ quodammodo premi ab Aere, sive exhalationibus inclusis, si quando eas rarefieri contigerit; quod semper contingit: dum enim rarefiunt, prioris loci angustiis contemptis, ampliori amplectuntur spatio, atque ambientium corporum, ac proinde Cœli ipsius partes omnes, si qua obstent rarefactioni, quantum in ipsis est, premunt (1): *ac propterea non mirum, si ex compressione adhæsio aliqua consequatur, quæ duo hæc corpora veluti connectat et colliget, ita ut ad eumdem postea motum utrumque moveatur.*

Sed videamus nunc quam verum sit experimentum illud, cui maxime Galilæi sententia innititur. « Si catinum, inquit, circa » centrum axemque suum moveatur, Aer inclusus minime sequax, » sed restitans, nulla sui parte circumagetur. » Audieram jam olim a nonnullis, qui Galilæo familiariter usi fuerant, idem illum affirmare solitum de aqua eodem catino contenta; videlicet, ne illam quidem ad vasis motum circumferri. Argumento erat, quia si consistenti in eo aquæ leve aliquod corpus et natans, festucam scilicet aliquam aut calamum, imposuisses superficiei catini proximum, mox, cum vas ipsum circumduceretur, eodem calamus semper loco perstabat (2). *Ex quibus aliisque experimentis, scio aliquos ingenium Galilæi commendasse plurimum, qui ex rebus levissimis, atque ob oculos positis, facilitate mirabili in rerum difficillimarum cognitionem homines manuduceret. Neque ego in universum hanc ei laudem imminutam volo. Quod autem ad rem*

(1) *Vedi la Postilla N° CXIX.*
(2) *Vedi la Postilla N° CXX.*

Digitized by Google

præsentem attinet, utrumque experimentum (parcat mihi vera narranti Galilæus) falsum omnino comperi. Nempe ille semel aut iterum, credo, catinum circumducebat, sic enim nullus percipitur aquæ motus; at si ulterius movere pergat, tum enim vere intelliget, moveaturne aqua ad catini motum, an vero resistat (1). *Calamus enim, aut paleæ eidem aquæ impositæ, si non multum a catini superficie abfuerint, citissime circumferentur, nec, licet catinum quieverit, illæ moveri desinent, sed aquam cum insidentibus corporibus, ex impetu concepto, per longum tempus, tardiori tamen semper vertigine, circumagi comperies. Verum, ne quisquam incuriose nos ac negligenter id expertos existimet: hemisphæricum vas I* (Tab. II, Fig. II) *ex orichalco affabre torno excavatum accepimus; torno item curavimus duci axem CE catino ipsi junctum, ita ut per ejus centrum, in modum sphærici axis, transiret si produceretur: pedem autem construximus firmum ac stabilem, ne facile vasis motu agitaretur; atque axem per foramen E traductum, et fulcimento ima ex parte innixum, perpendiculariter erectum statuimus: sic enim, manu axe in gyrum acto, catinum etiam eodem motu ferri necesse erat. Verum, non aqua solum ad vasis motum fertur, sed Aer ipse, ex quo maxime exemplum desumit Galilæus* (2). *Docet id flamma candelæ, proxime superficiei vasis admota, quæ in eamdem partem, in quam vas fertur, exigua sui corporis declinatione deflectit. Docet id longe clarius, serico filo tenuissimo suspensa e papyro lamella A, cujus latus alterum proximum sit interioris vasis superficiei. Si enim tunc moveatur in unam partem catillum, in eamdem quoque sese papyrus convertet; et si iterum in oppositam partem vas reciproca revolutione volvatur, in eamdem cum adhærente Aere etiam papyrum secum trahet. Id porro a me non securius dici quam verius, testes habeo nec paucos nec vulgares: Patres primum Romani Collegii quamplurimos; ex aliis vero, quotquot ex Magistro meo cognoscere id voluerunt; voluerunt autem multi. Quos inter ille mihi silendus non est, cujus, non genere magis quam eruditione singulari, clarissimum nomen sat mihi meique rebus luminis afferre, ac dictis facere fidem possit: Virginium Cæsarinum loquor, qui admiratus*

(1) *Vedi la Postilla N° CXXI.*
(2) *Vedi la Postilla N° CXXII.*

Digitized by Google

enimvero est, vero; ad hanc diem inter multos constantissime pro certa habitam, falsitatis unquam argui potuisse: et tamen vidit factum, fieri quod posse negabant plerique. Atque hæc quidem ab experientia certa sunt; quæ tamen experientia si absit, doceat hæc quoque ratio ipsa. Cum enim Aer atque Aqua de genere humidorum sint, quorum peculiare est corporibus adhærescere, etiam politis et levibus, fieri numquam poterit, ut vasis superficiei non adhæreant: quod si hoc adhæsionis vinculum admittatur, motum etiam eorumdem humidorum admitti necesse est. Primum enim pars illa, quæ vas contingit, ad vasis ductum movebitur, quippe quæ adhæret vasi; deinde pars hæc mota aliam sibi hærentem trahet; secunda hæc tertiam: cumque motus hic fiat veluti in spiram, non mirum, si ad unam aut alteram catini circumductionem, Aquæ motus non percipiatur, cum primæ hujus spiralis partes valde propinquæ sint ipsi superficiei vasis; ac proinde motus ad reliquas interiores partes diffusus adhuc non sit, cum hæ aliquam patiantur rarefactionem, et propterea non illico trahentis motum sequantur (1). *Neque miretur quisquam, in hisce nostris experimentis exiguum adeo Aeris motum esse, Aquæ vero maximum. Cum enim Aer facilius et concrescat et rarescat quam Aqua, ideo, quamquam ad motum vasis Aer eidem adhærens facillime movealur, non tamen alium Aerem sibi proximum eadem facilitate trahit; cum hic a reliquis Aeris consistentis partibus majori vi contineatur, et exigua sui vel concretione vel rarefactione, vim trahentis Aeris eludere ad breve aliquod tempus possit. Si quis tamen apertius experiri cupiat, an corpus sphæricum in orbem actum Aerem secum trahat, hic globum A, v. g.,* (Tab. II, Fig. III) *suis innixum polis B et C manubrio D circumducat, appensa charta ex E filo tenuissimo, ita ut ipsum fere globum contingat: dum enim Sphæra in unam rotatur partem, in eamdem charta F ab Aere commoto fertur; si præsertim globus satis amplus fuerit, et celerrime circumductus. Neque tamen ex eo, quod tum in catino tum in Sphæra parvum adeo Aeris motum experiamur, recte quis inferat, in concavo Lunæ eumdem motum esse perexiguum: ratio enim, cur in Sphæra A et catino I circumductis non magnus Aeris motus existat, ea inter cæteras est,*

(1) *Vedi la Postilla N° CXXIII.*

Digitized by Google

quia cum catinum et Sphæra intra Aerem posita sit tota, dum eorum motu movendus est Aer circumfusus, semper minus est id quod movet, quam quod movetur (1). *Si enim v. g. ad motum Sphæræ A* (Tab. II, Fig. IV) *superficies ipsius BC movere debeat sibi adhærentem Aerem, circulo D expressum, cum hic major sit quam circulus BC, majus a minori movendum erit, atque ideo accidet, dum circulus D trahere secum debet circulum E. At vero in concavo Lunæ, opposito plane modo se res habet, cum semper majus sit id quod movet, quam quod movetur. Si enim sit Lunæ concavum circulus E, atque hic movere debeat circulum D, D vero circulum BC; semper movens moto majus est, et propterea facilior motus. Hoc autem quamquam apud me nullam plane reliquerat dubitationi locum, libuit tamen modum aliquem excogitare, quo Aerem catino circumfusum, ab eo qui catino clauditur separarem, sperans haud dubium fore, ut Aer idem, qui segnius antea ferebatur quam Aqua, pari postea celeritate in gyrum ex catini circumductione raperetur. Quare laminam perspicuam, ne aspectum impediret, e lapide Moscovitico quem vulgo Talcum dicimus, orificio catini amplitudine parem, quam opportune catino ipsi postea imponerem, paravi, in ejusdem parte media trium ferme digitorum foramine relicto, quod tamen longe minus esse poterat. Filum deinde æreum EF accepi, diametro catini aliquanto brevius, quod media parte I compressum ac perforatum, traducto per foramen I filo IG, ex G suspendi ad libræ modum, adjecique extremis EF alas duas papyraceas: mox additis, detractisque ex utraque parte ponderibus, in æquilibrio filum æreum EF statui, ita ut fulcimentum I sub catini centro consisteret, alæ vero quarta saltem digiti parte ab ejusdem superficie distarent. Tum vase circumacto animadverti, post alteram evolutionem alas ac libram totam in gyrum moveri; et primo quidem lente, deinde citatiori motu, qui tamen nondum motum aquæ æquabat: quare superimposui laminam AB perspicuam, quam paraveram, ita ut Aer catino contentus a reliquo separaretur, vel solo foramine C eidem necteretur. Tunc enimvero, ad vasis motum ferri citius visa est libra F; ac brevi celeriter adeo agi cœpit, ut catini ipsius motum,*

(1) *Vedi la Postilla N° CXXIV.*

Digitized by Google

quamvis velocissimum, assequeretur: ut hinc videas, quotiescumque movens moto majus fuerit, tunc longe faciliorem motum futurum; imposito enim vasi operculo AB, tunc superficies interior catini et operculi simul, ad cujus motum movendus est Aer, major est Aere proxime movendo: est enim superficies illa continens, Aer vero contentus (1).

Idem denique expertus sum, eventu pari, in Sphæra vitrea A (Tab. II, Fig. V), *quantum fieri potuit, exactissima, summa tantum parte C perforata ad laminam I inducendam. Eadem enim Sphæra axi BD imposita, axeque ipso circumacto, non Sphæra solum A, sed et lamina I suspensa, quamvis multum ab interiore superficie Sphæræ distaret, celerrime moveri visa est. Atque ita nulli aut industriæ aut labori parcendum duxi, ut quamplurimis idem experimentis quam diligentissime comprobarem. Hæc porro postrema experimenta videre iidem illi, qui superius a me commemorati sunt; ut necesse non habeam, eosdem iterum testari. Illud etiam adnotandum duxi, æstivo nos tempore hæc omnia expertos fuisse, quo, ut calidior, ita siccior Aer existit, magisque proinde ad Ignis naturam accedit; quem omnium elementorum minime aptum adhæsioni existimat Galilæus* (2). *Ex quibus omnibus illud saltem colligere licet, tum ad catini motum et Aerem et Aquam moveri, tum lævibus etiam corporibus Aerem adhærescere, atque ad eorum motum agi; quæ constanter adeo pernegavit Galilæus.*

Propositio III.

Motus non est causa caloris, sed attritio, qua corporis attriti partes deperduntur. Aer neque atteri, neque incendi potest.

Ait Aristoteles (3), *motum causam esse caloris; quam propositionem omnes ita explicant, non quasi motui tribuendus sit calor, ut effectus proprius et per se (hic enim est acquisitio loci), sed*

(1) *Vedi la Postilla N° CXXV.*
(2) *Vedi la Postilla N° CXXVI.*
(3) *Vedi la Postilla N° CXXVII.*

Digitized by Google

quia, cum per localem motum corpora atterantur, ex attritione autem calor excitetur, mediate saltem motus caloris causa dicitur: neque est, quod hac in re Aristotelem reprehendat Galilæus, cum nihil ipse adhuc afferat ab ejusdem dictis alienum. Dum vero ait præterea, non quamcumque attritionem satis esse ad calorem producendum, sed illud etiam potissimum requiri, ut partes attritorum corporum aliquæ per attritionem deperdantur; hic plane totus suus est, nec quicquam ab alio mutuatur. Cur autem hæc partium consumptio ad calorem producendum requiritur? An quod ad eumdem calorem concipiendum rarescere corpora necesse sit, in omni vero rarefactione comminui eadem corpora videantur, ac minutissimæ quæque particulæ evolent? At rarefieri corpora possunt, nulla facta partium separatione, ac proinde neque consumptione. An ideo hæc comminutio requiritur, ut prius particulæ illæ, utpote calori concipiendo magis aptæ, calefiant, hæ vero postea reliquo corpori calorem tribuant (1)*? Nequaquam: licet enim particulæ illæ, quo minutiores fuerint, magis calori concipiendo aptæ sint (ex quo fit, ut sæpe ex attritione ferri excussus pulvisculus in ignem abeat)* (2)*; illæ tamen, cum statim evolent aut decidant, non poterunt reliquo corpori, cui non adhærent, calorem tribuere. Sed quando ab experientia exempla petere libet, quid, si nulla partium deperditione ex motu corpus aliquod calefiat? Ego certe, cum æris frustulum, omni prius extersa rubigine ac situ ne quis forte pulvisculus adhæreret, ad argentarii libram perexiguam exactissimamque ponderibus minutissimis expendissem, cum etiam quingentesimas duodecimas unius unciæ partes haberem, ac pondus diligentissime observassem; validissimis mallei ictibus æs idem in laminam extendi: id vero inter ictus et mallei verbera bis terque adeo incaluit, ut manibus attrectari non posset. Cum igitur jam toties incaluisset, experiri libuit eadem libra, iisdemque ponderibus, num aliquod ponderis dispendium jacturamque passum fuisset; et tamen iisdem plane momentis constare comperi: incaluit igitur per attritionem æs illud, nullo partium suarum detrimento; quod Galilæus negat* (3)*. Audieram etiam aliquid simile librorum compactoribus evenire, cum*

(1) *Vedi la Postilla N° CXXVIII.*
(2) *Vedi la Postilla N° CXXIX.*
(3) *Vedi la Postilla N° CXXX.*

Digitized by Google

plicatas illas chartarum moles malleo diutissime ac validissime tundunt: expertus enim est illorum non nemo, eodem postea illas fuisse pondere quo fuerunt prius, incalescere tamen easdem inter ictus maxime, ac pene comburi. Quod si quis forte hoc loco asserat, deperdi quidem partes, sed adeo minutas, ut sub libræ quamvis exiguæ examen non cadant; quæram ego ex illo, unde norit partes esse deperditas? Neque enim video, quonam alio id modo aptius ac diligentius inquiram (1). *Deinde vero, si adeo exigua est hæc partium jactura, ut sensu percipi nequeat, cur tantum caloris excitavit? Præterea dum ferrum lima expolitur, calefit quidem, minus tamen aut certe non plus, quam cum malleo validissime tunditur; et tamen major longe partium deperditio ex limatura, quam ex contusione, existit* (2). *Ego igitur multum conferre arbitror, ad majorem minoremve calefactionem corporum attritorum, qualitates eorumdem: sint ne videlicet illa calidiora, an frigidiora: remque hanc ex multis aliis pendere, de quibus statuere adeo facile non sit* (3). *Nam si ferulas duas, corpora levissima ac rarissima, mutua aut alterius ligni confricatione attriveris, ignem brevi concipient: non idem in lignis aliis accidit, durioribus ac densioribus, quamvis eadem diutius ac vehementius atteri consumique contingat* (4). *Seneca certe, facilius, inquit, attritu calidorum ignis existit; ex quo fieri ait, ut æstate plurima fiant fulmina, quia plurimum calidi est. Præterea ferreus pulvis in flammam conjectus exardescit, non vero quicumque alius pulvis e marmore. Quare si in aere plurimum exhalationum calidarum fuerit, eumdemque ex vehementi aliquo motu atteri contigerit, non video, cur calefieri atque etiam incendi non possit: tunc enim, cum rarus sit ac siccus, multumque admixtum calidi habeat, ad ignem concipiendum aptissimus est* (5). *Quamvis autem exemplum Aristotelis de sagitta, cujus ferrum motu incaluit, Galilæus irrideat atque eludere tentet, non tamen id potest. Neque enim Aristoteles unus id asserit, sed innumeri pene magni nominis viri hujusmodi exempla (earum procul dubio rerum, quas ipsi aut spectassent, aut a spe-*

(1) *Vedi la Postilla N° CXXXI.*
(2) *Vedi la Postilla N° CXXXII.*
(3) *Vedi la Postilla N° CXXXIII.*
(4) *Vedi la Postilla N° CXXXIV.*
(5) *Vedi la Postilla N° CXXXV.*

Digitized by Google

ctatoribus accepissent) prodiderunt (1). *Vult hic Galilæus, aliquos nunc proferam e plurimis, qui hoc non vere minus quam eleganter affirmant? Ordiar a Poetis, iis contentus, quorum auctoritas, quia rerum naturalium cognitione perbene instructi sunt, in rebus gravissimis afferri ac magni fieri solet. Et sane Ovidius, non Poeticæ solum sed Mathematicorum etiam ac Philosophiæ peritus, non sagittas modo, sed plumbeas glandes fundis Balearicis excussas, in cursu sæpe exarsisse testatur. In libris enim Metamorphoseon hæc habet:*

Non secus exarsit, quam cum Balearica plumbum
Funda jacet: volat illud et incandescit eundo,
Et quos non habuit sub nubibus invenit ignes.

Paria his habet Lucanus, ingenio doctrinaque clarissimus:

Inde faces et saxa volant, spatioque solutæ
Aeris, et calido liquefacto pondere glandes.

Quid Lucretius, non minor et ipse Philosophus quam Poeta? nonne pluribus in locis idem testatur?

. . . . . plumbea vero
Glans etiam longo cursu volvenda liquescit.

et alibi:

Non alia longe ratione ac plumbea sæpe
Fervida fit glans in cursu, cum multa rigoris
Corpora dimittens ignem concepit in auris.

Idem innuit Statius, dum ait:

. . . . . arsuras Cœli per inania glandes.

Quid de Virgilio, Poetarum maximo? nonne bis hoc ipsum disertissime affirmat? Dum enim ludos Trojanorum describit, de Aceste ita loquitur:

Namque volans liquidis in nubibus arsit arundo,
Signavitque viam flammis, tenuesque recessit
Consumpta in ventos.

Alio vero loco, de Mezentio sic:

Stridentem fundam, positis Mezentius armis,
Ipse ter adducta circum caput egit habena,

(1) *Vedi la Postilla N° CXXXVI.*

Digitized by Google

Et media adversi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, et multa porrectum extendit arena (1).

Posse vero corpus durius alterius mollioris attritione consumi, probat aqua, diuturna distillatione durissimos etiam lapides excavans (2)*; atque allisæ scopulis undæ, quæ eosdem comminuunt et mire levigant: ventorum etiam vi corrodi turrium ac domorum angulos experimur. Si quando igitur aer ipse concrescat magnoque impetu feratur, duriora etiam atteret corpora, atque ipse ab iis vicissim atteretur. Sibilus certe, qui in agitatione fundæ exauditur, addensati aeris argumentum est* (3)*, quod fortasse voluit Statius cum dixit, aerem fundæ gyris inclusum distringi:*

. . . . et flexæ Balearicus actor habenæ,
Qua suspensa trahens libraret vulnera torta,
Inclusum quoties distringeret aera gyro.

Idem etiam probat grando, quæ quo altiori e loco decidit, eo minutior ac rotundior cadit: idem pluviæ guttæ, majores cum ex humiliori loco, minores cum ex altiori cadunt, cum in aere et comminuantur et atterantur. Sed ne Poetarum testimonium, vel eo ipso Poetæ nomine, suspectum alicui videatur (quamquam eosdem ex communi saltem omnium sensu locutos scimus (4)*), ad alios venio magnæ etiam auctoritatis ac fidei viros* (5)*. Suidas igitur in Historicis, verbo* περιδινοῦντες *hæc narrat: « Babylonii injecta in fundas ova » in orbem circumagentes, rudis et venatorii victus non ignari, » sed iis rationibus quas solitudo postulat exercitati, etiam crudum » ovum impetu illo coxerunt* (6)*. » Hæc ille. Jam vero, si quis tantarum causas rerum inquirat, audiat Senecam philosophum, quando hic inter cæteros Galilæo probatur, de his philosophice disputantem. Ille enim ex sententia primum Posidonii: « In ipso » aere, inquit, quidquid attenuatur, simul siccatur et calet. » Ex sua vero sententia: « Non est, inquit, assiduus spiritus cursus, » sed quoties fortius ipsa jactatione se accendit, fugiendi impetum » capit. » Sed longe hæc apertius alibi, ubi fulminis causas inqui-*

(1) *Vedi la Postilla N° CXXXVII.*
(2) *Vedi la Postilla N° CXXXVIII.*
(3) *Vedi la Postilla N° CXXXIX.*
(4) *Vedi la Postilla N° CXL.*
(5) *Vedi la Postilla N° CXLI.*
(6) *Vedi la Postilla N° CXLII.*

Digitized by Google

rens: « Id evenit, inquit, ubi in ignem extenuatus in nubibus » aer vertitur, nec vires quibus longius prosiliat invenit. » (Audiat jam quæ sequuntur Galilæus, sibique dicta existimet) (1)*: « Non miraris, puto, si aera aut motus extenuat, aut extenuatio » incendit: sic liquescit excussa glans funda, et attritu aeris velut » igne distillat. » Nescio sane, an diserte magis aut clarius dici unquam id posset* (2)*. Sive igitur Poetarum optimis, sive Philosophis credas* (3)*, vides, quicumque hac de re dubitas, atteri posse per motum aerem, atque ita incalescere, ut vel plumbum ejus calore liquescat. Nam quis hic existimet, viros virorum florem eruditissimorum, cum de iis loquerentur quorum in re militari quotidianus erat etiam tunc usus, egregie adeo atque impudenter mentiri voluisse* (4)*? Equidem non is sum, qui sapientibus hanc notam inuram* (5)*. Sed quid adversus hæc afferre possit Galilæus, non dissimulabo: dicat enim fortasse, nullam unquam fuisse fundarum aut arcuum vim tantam, quæ sclopeti aut muralis tormenti impulsum æquare potuerit: quod si plumbeæ glandes hisce tormentis excussæ non liquescunt, addito etiam pulveris incendio, quo vel uno liquescere deberent; jure suspicari nos posse, Poetarum fuisse commenta illa liquefacti plumbi atque exustarum exempla sagittarum. Sed si hæc facile objiciat Galilæus, non æque tamen facile eadem probarit. Quin potius scio, explosas majoribus bombardis plumbeas pilas in aere liquescere aliquando* (6)*. Certe Homerus Turtura, ut nuperrimus ita diligentissimus rerum Gallicarum scriptor, ait, ingentem aliquando tormentariorum globorum vim inutilem mœnibus diruendis fuisse, quod, cum illi exigui prius forent atque ex ferro, superinducto plumbo majores effecti fuissent. « Cum enim, inquit, in muros exploderentur, plumbo in » aere liquescente* (7)*, solus interior globulus ex ferro, instar nu» clei, abjecto cortice, murum pertingebat. » Præterea, audivi ipse ex iis qui viderant, probatissimæ fidei viris, cum dicerent, globulum*

(1) *Vedi la Postilla N° CXLIII.*
(2) *Vedi la Postilla N° CXLIV.*
(3) *Vedi la Postilla N° CXLV.*
(4) *Vedi la Postilla N° CXLVI.*
(5) *Vedi la Postilla N° CXLVII.*
(6) *Vedi la Postilla N° CXLVIII.*
(7) *Vedi la Postilla N° CXLIX.*

Digitized by Google

plumbeum rotundum sclopeto explosum, cum brachio forte alterius inhæsisset, ex eodem postea extractum fuisse non rotundum, sed oblongum, et vere glandis figuram referentem: quod quotidianis etiam exemplis comprobatur, dum irrito sæpe ictu glandes plumbeæ sclopetis excussæ, inter hostium vestes implicitæ, figura non amplius qua fuerant, sed compressæ, ac laciniosæ, atque etiam frustatim comminutæ reperiuntur (1). *Quod argumento est, illas, ex calore concepto rariores effectas, invalido percussisse ictu. At id quotidie accidere non videmus. Nempe, neque auctores a nobis citati affirmarunt, quoties Balearicus fundibularius plumbum funda projiceret, solitum illud ex motu liquescere; sed tantum accidisse id non semel, atque ideo insolitam rem pene miraculo fuisse: nos etiam supra dicimus, ad ignem ex attritu aeris excitandum multam exhalationum copiam in eodem aere requiri, quod calidiora facilius ignescant* (2). *Sic enim videmus in Cœmeteriis per æstatem accidere non raro, ut ad alicujus hominis adventum, aut ad lenissimi Favonii eventilationem agitatus aer ille, siccis et calidis halitibus infectus, in flammam statim abeat. Quænam porro hic corporum duriorum attritio reperitur* (3)? *Et tamen, ex motu atque attritione levissima aer ille ignescit. Atque hoc voluit Aristoteles, cum dixit: « Cum autem fertur et movetur hoc modo, quacumque » contigerit bene temperata existens, sæpe ignitur. » Quo textu satis aperte significat, hæc non contingere nisi in iis circumstantiis, quas superius enumeravimus. Quare, si quando is aeris status fuerit, ut hujusmodi exhalationibus abunde ferveat* (4), *ajo, plumbeos orbes, fundis etiam validissime excussos, suo motu aerem accensuros, atque ab eodem incenso incendendos vicissim fore* (5); *non esse proinde, cur Galilæus ad experimenta confugiat, cum non nostro hæc arbitratu, sed casu evenire asseramus: perdifficile autem est casum, cum volueris, accersere* (6). *Quod si quis forte dixerit, glandes tormentis bellicis explosas, non ex attritu aeris, sed ex igne vehementissimo quo excutiuntur, accendi; quamquam haud*

(1) *Vedi la Postilla N° CL.*
(2) *Vedi la Postilla N° CLI.*
(3) *Vedi la Postilla N° CLII.*
(4) *Vedi la Postilla N° CLIII.*
(5) *Vedi la Postilla N° CLIV.*
(6) *Vedi la Postilla N° CLV.*

Digitized by Google

ita facile mihi persuadeam, ingentem plumbi vim ab eo igne liquescere, quem brevissimo temporis momento vix attigerit, satis hoc loco habeo ostendisse, nullum ab his exemplis Galilæo patere effugium, ad Poetarum et Philosophorum testimonia evadenda. Sed objicit præterea: Quamvis admittatur, ex motu accendi exhalationes aliquando posse, nescire tamen se intelligere, quî fiat, ut statim atque ignem conceperint non consumantur (1)*; sicuti in fulminibus, stellis cadentibus, aliisque hujusmodi fieri quotidie videmus. Ego vero satis id intelligi posse existimo, si quis ex iis, quos hominum ars atque industria invenit, ignibus, similiter de sublimioribus illis a Natura succensis philosophetur. Duplicis enim naturæ nostri hi sunt, sicci alii ac rari, nulloque hærentes glutine, qui, ut ignem conceperint, claro largoque fulgore, subito incremento, at caduco brevique incendio, nullis pene reliquiis conflagrare solent; alii tenaciori materia compacti, ac piceo liquore conflati, in longum tempus duraturi, flamma diuturniore nocturnas nobis tenebras illustrant. Quidni igitur in supremis illis regionibus simile aliquid contingat? Vel enim materia levis adeo, rara et sicca est, ut nullo humidi vinculo colligetur; atque hæc subito celerique fulgore, in suo veluti exortu interitura succenditur: vel certe viscida est et glutinosa, quæ, si quo casu accendatur, non ad interitum illico properet, sed suo plane succo diutius vivat, ac longiore ætate, suspicientibus undique mortalibus, ex alto resplendeat. Satis igitur hinc apparet quî possit fieri, ut ignes in summo aere succensi non illico extinguantur aliquando, sed diutius ardeant: apparet etiam, aerem succendi posse, si ea præsertim adsint, quæ calori ex attritu excitando plurimum conferunt; vehemens videlicet motus, exhalationum copia, materiæ attenuatio, et si quid aliud ad idem conducit* (2).

(1) *Vedi la Postilla N° CLVI.*
(2) *Vedi la Postilla N° CLVII.*

Digitized by Google

Propositio III.

Irradiatio corporum luminosorum oculi est affectio, non autem Aeris illuminati, cum Aer illuminari non possit.

Dum Galilæus de fulgore illo agit, qui, luminosis corporibus circumfusus, eminus spectantibus ab ipso luminoso corpore non distinguitur; ait primo, illum in oculi superficie per refractionem radiorum in insidente humore fieri, non autem circa astrum aut flammam revera consistere (1). *Addit secundo, Aerem illuminari non posse. Tertio vero, corpora luminosa, si per tubum conspiciantur, larga illa radiatione spoliari. Porro ad harum propositionum veritatem investigandam, illud, quod secundo loco positum est, primo est a nobis expendendum, hoc est: an illuminari Aer possit; ex hoc enim reliqua pendere videntur. Qua in quæstione, supponendum primum ex Opticis ac Physicis est, lumen non videri nisi terminatum; terminari autem non posse, nisi corpore aliquo opaco: perspicuum enim, qua perspicuum est, lucem non terminat, sed liberum eidem transitum præbet. Secundum, aerem purum ac sincerum maxime perspicuum esse, minusque proinde aptum ad lumen terminandum; aerem vero impurum, multisque vaporibus admixtum, et lucem terminare et remittere ad oculum posse* (2). *Et quidem hujus secundæ suppositionis prima pars ab omnibus, atque a Galilæo ipso, ultro conceditur: pars autem altera multis probatur experimentis. Aurora enim in Solis exortu, atque in occasu crepuscula, satis indicant, impurum aerem illuminari posse; idem testantur Coronæ, Areæ, Parhelia, aliaque hujusmodi quæ ex aere crassiori fiunt: fateri hoc etiam videtur Galilæus in Nuncio sidereo, ubi circa Lunam vaporosum quemdam orbem, ei qui Terræ circumfunditur non absimilem, statuit, quem a Sole illuminari asserit: quod de Joviali etiam orbe videtur affirmare. Præterea, si quis Lunam, post alicujus domus tectum adhuc latitantem, cum proxime emersura est observet, maximam Aeris partem ejusdem Lunæ lumine illustratam, quasi lunarem auroram,*

(1) *Vedi la Postilla N° CLVIII.*
(2) *Vedi la Postilla N° CLIX.*

Digitized by Google

prius intuebitur: fulgorem autem hunc magis crescere comperiet, quo propior exortui Luna fuerit. Ridiculum autem esset affirmare, Auroram, Crepuscula, aliosque hujusmodi splendores, in insidente oculis humore per refractionem gigni (1). *Quid enim? dum Lunam ac Solem, altius provectos, brevi inclusos gyro intueor, sicciοribus ne oculis sum, quam cum eosdem postea, horizonti proximos, in orbem ampliorem extensos aspicio* (2)? *Satis igitur ex his patet, Aerem impurum ac mixtum illuminari posse; quod etiam ratione pervincitur. Cum enim lumen terminetur ab eo, quod aliquam habet opacitatem; Aer autem per vapores concretior atque opacior fiat; hac saltem parte, qua opacus est, lumen reflectere poterit. Quibus ita explicatis, ad quæstionem propositam redeo: in qua, dum auctores nec pauci nec mali asserunt, partem Aeris luminosis corporibus in speciem circumfusi pariter illuminari; non de sincero, nullisque admixto vaporibus, locuti existimandi sunt, sed de eo Aere, qui densioribus halitibus opacatus lumen stellarum sistere, ac cohibere possit ne ultra progrediatur. Nam dum ajunt, Solem ac Lunam ampliori sese forma prope horizontem spectandos offerre, quam cum altiores fuerint; id ex Aere vaporoso interjecto oriri affirmant: ex quibus patet, illos, non de Aere puro loqui, sed de infecto, ac proinde opaciori. Quare statuendum est, non abjiciendam esse (quod Galilæus jubet) opinionem illam, quæ asserit, Aerem illuminari a stellis posse; cum tot experimentis verissima comprobetur, si de Aere impuriori intelligatur. Quod si illuminari Aer potest, poterit etiam pars aliqua luminosi illius coronamenti, quo sidera vestiuntur, in Aerem illuminatum referri. Quamvis non negem (id quod primo loco propositum fuerat), radiosam illam coronam longis distinctam radiis, quæ ad quemcumque oculi motum movetur, oculi affectionem esse* (3); *ex quo fit ut iidem radii, modo plures modo pauciores, nunc breviores nunc productiores fiant, prout oculus ipse movetur. Adhuc tamen non probavit Galilæus, nullam partem illius luminis, quod nos a vera flamma non distinguimus, ex Aere illuminato existere, qua postea, ne per specillum quidem, luminosa spoliari possint* (4).

(1) *Vedi la Postilla N° CLX.*
(2) *Vedi la Postilla N° CLXI.*
(3) *Vedi la Postilla N° CLXII.*
(4) *Vedi la Postilla N° CLXIII.*

Digitized by Google

Neque obstat experimentum ab eodem Galilæo allatum. « *Si manum, inquit, inter lumen atque oculum collocatam ita moveris, ac si lumen occultare velles, fulgor ille circumfusus nunquam tegetur, quoad ipsum verum lumen non absconderis; sed radii ipsi manum inter atque oculum nihilominus comparebunt: at ubi partem veri luminis aliquam texeris, eorumdem radiorum partem oppositam evanescere comperies: nam, si luminis partem superiorem celaveris, radii inferiores apparere desinent.* » *Hæc Galilæus: quæ omnia verissima experior, dum radios ipsos tantum considero, radios inquam illos, quos, ex eorum motu pene perpetuo ac luminis diversitate, satis superque a reliquo vero lumine distinguo: at dum reliquum lumen, quod ipse verum existimo, celare tento, ea prorsus ex parte, qua manum interpono, si non omnino abscondo, minuo saltem atque infusco. Infusco, inquam; neque enim ex qualibet manus interpositione celari objecta possunt, ne videantur. Si quis enim, ut dicebam, attente animadvertat, dum vivam candelæ a nobis remotæ flammam tegere manus objectu nitimur; etiamsi summam pyramidis accensæ partem revera manus texerit, adhuc tamen eandem illam inter manum atque oculum conspicimus, videturque interpositus digitus ea flamma comburi, ac duas veluti in partes secari; ea plane ratione quam digitus A ostendit* (Tab. II, Fig. VI). *Qui autem fieri possit, ut ex hac digiti interpositione aspectus flammæ non impediatur, sic ostendo. Cum oculi pupilla indivisibilis non sit, sed plures possit in partes dividi, poterit una illius pars tegi, reliquis non tectis; quamvis ergo, parte aliqua pupillæ obtecta, ad illam species objecti luminis non perveniant, si tamen reliquæ apertæ remaneant, et ad illas eædem species pertingere possint, lumen adhuc videbitur. Sit enim v. g. lumen BC* (Tab. II, Fig. VII), *oculi pupilla FA, corpus opacum interpositum sit D, quod quidem speciem puncti C pervenire ad F non permittat, nullo tamen sit impedimento, quin ex C alter radius CA perveniat ad partem pupillæ A. Per radium ergo CA videbitur apex luminis C; non videbitur autem adeo fulgens, ut tunc cum totam pupillam sua imagine explebat: idem autem apex C non prius videri desinet, quam D totam pupillam tegat, prohibeatque ne ullis radiis apex C ad illam feratur. Quod si corpus D multo minus fuerit, quam oculi pupilla, v. g. filum aliquod crassum,*

Digitized by Google

parumque ab eadem pupilla abfuerit, lumine interim longe posito; quomodocumque inter oculum et lumen idem filum extendatur, nullam luminis partem impediet, neque fili ejusdem pars inter oculum et flammam constituta comparebit, ac si prorsus combusta fuisset; quod ex eadem causa oritur (1). *Neque enim filum illud, cum minus sit quam pupilla, si ab eadem non longe distet, impedire potest quominus omnes flammæ partes, aliquibus saltem radiis, ad potentiam ferantur: quare per eos saltem flamma videbitur. Ad tertium denique dictum, quo ait, sidera hoc splendore accidentario spoliari, cum tubo optico conspiciuntur; multa hic etiam sunt, quæ non facile solvantur. Nam si tubus opticus sidera adscititio hoc fulgore spoliaret, non deberet hic fulgor per tubum conspici: at conspicitur tamen* (2). *Et quidem inter fixas stellas nulla est adeo exigua, quæ splendore isto, etiam non suo, a tubo exui patiatur; quod Galilæus ipse fateri videtur, dum a Cane aliisque stellis fulgorem illum nunquam omnino auferri posse affirmat; semper enim, etiam per tubum, scintillantes hosce radios in illis intuemur* (3). *Sed quid dico a stellis? Planetæ etiam aliqui adeo fulgoris hujus tenaces sunt, ut nunquam sibi illum eripi patiantur; Mars videlicet, Venus atque Mercurius, quorum lumen, nisi coloratis vitris specillo aptatis, retuderis, numquam nudi comparebunt. Et sane non video, si eadem radiorum illorum causa in superficie oculi remanet, hoc est humor ille pupillæ perpetuo insidens; cur postea, si lumen Astri, per specilli vitra refractum, in eumdem humorem incidat, refringi iterum, quamquam diverso fortasse modo, eosdemque luminis ductus producere non debeat. Jam vero si illud admittatur, quod admitti necesse est, ut supra probavimus, Aerem etiam illuminari, atque ex hoc fieri posse, ut sidus majus appareat quam revera sit; non poterit Galilæus negare, ex hoc saltem capite, circumfusum etiam fulgorem videri per tubum, ac proinde etiam augeri debere: fatetur quippe omnia illa per tubum videri, atque ab eodem augeri, quæ ultra ipsum posita sunt: cum igitur hic etiam splendor ultra specillum sit, per illud conspici augerique debebit. Quod si nihilominus in stellis hoc incrementum non per-*

(1) *Vedi la Postilla N° CLXIV.*
(2) *Vedi la Postilla N° CLXV.*
(3) *Vedi la Postilla N° CLXVI.*

Digitized by Google

cipitur, aliunde petenda erit hujus aspectus causa, non ex eo, quod radiatio hæc fiat inter specillum et oculum, hoc est in superficie humida oculi. Hoc enim, si non de radiis illis vagis ac distinctis, sed de stabili et continuo amplioris luminis coronamento loquamur, ex Aere illuminato existere posse, Solis ac Lunæ exemplis, prope horizontem ampliori orbe quam in vertice apparentium, comprobatur (1). *Si vero de radiis ipsis intelligatur, cum hi etiam per specillum conspiciantur in stellis, non poterit hoc minimum earumdem stellarum incrementum in radiorum illorum abjectionem referri, cum non abjiciantur.*

Propositio IV.

Nullum luminosum est perspicuum; et flamma videri ea non patitur, quæ ultra illam posita sunt (2).

Sed videamus, quam recte ex Peripatetica disciplina, atque ex experimentis, sibi arma contra Aristotelem fabricet Galilæus. « *Præterea, inquit, Cometam flammam non fuisse, ex ipsa experien-* » *tia, et Peripateticorum dicto deducimus, quo affirmant, nullum* » *corpus lucidum esse perspicuum* (3): *experientia vero docet flam-* » *mam, vel minimam, unius candelæ, impedimento esse, quominus* » *objecta ultra ipsam posita conspiciantur: si ergo Cometam* » *flammam fuisse quis dixerit, dicendum eidem erit, stellas ultra* » *illam positas ab ea celari debuisse; et tamen per Cometæ caudam* » *lucidissime intermicantes easdem stellas vidimus.* » *Hæc ille: in quibus mirari satis non possum, hominem, magni alioqui nominis atque experimentorum amantissimum, ea diserte adeo asseverasse, quæ obviis ubique experimentis redargui facile possent* (4). *Quamvis enim Peripateticorum dictum, si recte intelligatur, verissimum sit (omne enim corpus, ad hoc ut illuminetur, vel potius illuminatum appareat, excurrentem ulterius lucem quasi*

(1) *Vedi la Postilla N° CLXVII.*
(2) *Vedi la Postilla N° CLXVIII.*
(3) *Vedi la Postilla N° CLXIX.*
(4) *Vedi la Postilla N° CLXX.*

Digitized by Google

sistere ac reprehendere debet; perspicuum autem, utpote eidem luci pervium, eam terminare non potest: ex quo dicendum est, corpus quodcumque eo clarius illuminandum, quo plus opaci minusque habuerit perspicui): nullus tamen est, qui neget, reperiri corpora partim perspicua, partim opaca, quæ partem lucis aliquam terminent, qua lucida appareant; aliquam vero libere transire permittant: qualia sunt nubes rariores, aqua, vitrum et hujusmodi multa, quæ et lumen in superficie terminant, et ad aliam partem idem transmittunt. Quare nihil est, cur ex hoc dicto quidquam momenti suis experimentis Galilæus adjectum putet. Experimenta porro ipsa falsa deprehenduntur. Affirmo igitur, candelæ flammam objecta ultra se posita ex oculis non auferre, et perspicuam esse. Huic primum dicto adstipulantur sacræ litteræ, cum de Anania, Azaria ac Misael in fornacem, Regis jussu, conjectis agunt (1). *Sic enim regem ipsum loquentem inducunt. « Ecce ego » video quatuor viros solutos et ambulantes in medio ignis, et » nihil corruptionis in eis est; et species quarti similis filio Dei. » Ac ne quis existimet, id pro miraculo habendum, idem probatur iterum ex eo, quia in candelæ flamma medio loco consistens videtur ellychnum, seu nigricans, seu candens. Præterea cum strues aliqua ingens lignorum incenditur, medias inter flammas semiusta ligna, et carbones accensos libere prospectamus; cum tamen sæpe maxima flammarum vis oculum inter atque eadem ligna media consistat: flamma igitur perspicua est.*

Secundo: quodcumque opacum inter oculum et objectum positum, ejusdem objecti aspectum impedit, sive magno, sive parvo ab eodem distet intervallo (2). *Ita v. g. lignum aliquod, sive rem quampiam attingat, sive ab illa multum removeatur (si tamen inter illam atque oculum substiterit), eam videri non permittet: quod in flamma non accidit; hæc enim quascumque res ultra se positas, si non longe distent, sed easdem e proximo vehementer illuminet, semper videri patietur: quod quilibet experiri facile potest, si legendum aliquid ultra lumen collocaverit, unius tantum digiti intervallo; tunc enim characteres illos a flamma obtectos facile perleget. Flamma ergo perspicua est et luminosa, quod Ga-*

(1) *Vedi la Postilla N° CLXXI.*
(2) *Vedi la Postilla N° CLXXII.*

Digitized by Google

lilæus negat, ejusque oppositum tamquam principium contra Aristotelem disputaturus assumit (1).

Quod si quis quærat, cur objecta ultra flammam posita, si saltem ab eadem longe semota fuerint, non conspiciantur; hanc ego hujus rei causam assigno, quia nimirum objectum movens potentiam vehementius impedit, ne videantur objecta reliqua ad eamdem potentiam movendam minus apta: objecta autem quælibet eo vehementius, cæteris paribus, potentiam movent, quo sunt lucidiora. Quia igitur objecta, longe ultra flammam posita, multo minus illuminantur quam flamma ipsa; ideo hæc potentiam veluti totam explet obruitque, nec objecta alia videri permittit; et propterea, quo objecta eadem eidem flammæ fiunt propiora, quia tanto magis illuminantur, eo etiam magis apta sunt movere potentiam; ac proinde tunc conspiciuntur; majori siquidem illustrata lumine, cum flamma pene ipsa contendunt. Quare si aut flamma obtusiori splendeat lumine, aut objectum ultra illam positum luminosum ex se sit, aut ab alio vehementer illuminatum; nunquam illius aspectum interposita flamma impediet, quamvis longissime objectum illud a flamma distet. Hoc etiam quibusdam experimentis confirmare placet.

Incendatur distillatum vinum, quod aquam vitis vulgo appellant; ejus enim flamma, cum non admodum clara sit, liberam rerum imaginibus ad oculum viam relinquet, ut etiam minutissimos quosque characteres perlegi patiatur. Idem accidit in flamma ex incenso sulphure excitata, quæ, colorata licet sit et crassa, vix tamen quidquam impedimenti eisdem rerum imaginibus affert.

Secundo: sit licet flamma clarissimo ac micanti lumine, si tamen alterius candelæ lumen ultra illam collocatum longe etiam semoveris, inter vicinioris flammæ lumen remotiorem flammam intermicantem cernes. Cum ergo stellæ corpora sint luminosa, et quævis flamma longe clariora; nil mirum, si non potuit earundem aspectus ab interposita Cometæ flamma impediri: ac proinde nihil detrimenti, ex hoc Galilæi argumento, patitur Aristotelis opinio.

Tertio: non luminosa solum illa, quæ propria fulgent luce, ab interposita flamma velari non possunt; sed ne alia quidem cor-

(1) *Vedi la Postilla N° CLXXIII.*

Digitized by Google

pora opaca, si tamen ab alio lumine illustrentur. Ita interdiu, si quid aspexeris a Sole illuminatum, nullius interpositu flammæ impediri ejus aspectus poterit. Constat igitur satis superque, flammas perspicuas esse, atque hoc etiam non obstare, quominus Cometa flamma esse potuerit. Illud etiam omitti non debet, eodem, quo Aristotelem urget, argumento Galilæum premi. Sic enim ille: « Flammæ perspicuæ non sunt; Cometæ autem coma perspicua est: » ergo flamma non est. » At ego adversus Galilæum sic: Luminosa perspicua non sunt; Cometæ coma perspicua est: ergo luminosa non est. Esse autem perspicuam indicant Stellæ, ejus interpositu nulla ex parte celatæ. Præterea, comam hanc luminosam esse asserit idem Galilæus, dum illam ex illuminato vapore existere contendit; vapor enim illuminatus corpus est luminosum. Neque dicat, loqui se de luminosis nativo ac proprio lumine fulgentibus, non autem de iis, quæ lumen aliunde accipiunt. Nam hæc etiam rerum ultra ipsa positarum aspectum impediunt: si enim pila aliqua vitrea, aut amphora, vino aut re alia quacumque plena fuerit, et lumini exponatur, iis tantum partibus, ex quibus lumen non reflectit, nec illuminata comparet, vinum ostendet; ea vero parte, qua lumen ad oculum remittit, nil nisi lucidum quid et candens spectandum offeret. Idem in aquis etiam a Sole illuminatis accidit, in quibus pars illa, qua Sol ad oculum reflectitur, nihil ultra se positum videri patitur; reliquæ vero partes lapillos atque herbas in fundo subsidentes ostendunt. Quare illuminatorum etiam corporum erit, ulteriora objecta velare ne videantur; atque hæc etiam luminosa dici poterunt. Si ergo hæc apud Galilæum nullam admittunt perspicuitatem, per Cometæ barbam, vel luminosam vel illuminatam, stellas videre non possumus; at potuimus tamen: ergo et illuminata fuit Cometæ barba, et perspicua.

Hæc ego omnia eo libentius affero, quod ea facile quivis intelligat, cum non ex illis linearum atque angulorum tricis pendeant, ex quibus non omnes æque facile se expedire norunt; hic enim, si quis oculos habeat, ingenii etiam huic abunde erit.

Illud præterea a Galilæo Aristoteli objicitur, male illum ex Cometis prædicere, annum fore non admodum pluvium, sed siccum potius, ventorum etiam ingentem vim, ac Terræ motus portendi. Cum enim, inquit, Cometæ nihil aliud Aristoteli sint nisi ignes,

Digitized by Google

hujusmodi exhalationum veluti helluones voracissimi; si nullas reliquias ab iisdem relinquendas dixeris, longe sapientius pronunciaris. Sed ego longe aliter sentiendum existimo. Nam si qua in urbe, per fora ac vias magnam frumenti vim dispersam negligenter haberi, aut si forte vilissima quæque capita ac plebeculæ sordes opipare semper epulari videas; an non inde tantam rei frumentariæ ac totius annonæ facultatem sapienter arguas, ut nullo ibidem in longum tempus metuenda sit inopia? Ita plane dicendum. Atqui halituum sedes angustis, ut plurimum, terminis, ac veluti in horreo frumentum, includitur; neque ad illas plagas, quibus vorax flamma dominatur, facile producitur, nisi quando eorumdem ingens copia inferioribus sedibus capi non potest, aut forte iidem, sicciores ac rariores effecti, omnem aquæam exuerint qualitatem. Quare non inepte Aristoteles ex Cometis, hoc est ex hujusmodi exhalationibus, ad ignem usque adeo non parce, sed affluenter productis, intulit, inferiora hæc omnia iisdem maxime abundare. Neque hinc sequitur, ab eo igne nullas eorumdem halituum reliquias relinquendas; is enim ea tantum absumit, quæ supra non capaces inferioris sedis angustias ad ignis plagam elevantur; qui postea ignis non in alienas regiones irrumpit, sed suo semper fixus in regno, ea sibi vindicat, quæ propius ad illum accesserint, aut, quasi ab humidioribus impressionibus transfuga, ad illum defecerint; et propterea potuit Aristoteles hinc etiam ventos, sicciorem anni temperiem, aliaque hujusmodi prænunciare. De nostro certe Cometa siquis tale aliquid prædixisset, potuisset ab eventu ipse id egregie confirmare; nam et annus siccior solito extitit, insolentes ventorum vehementesque flatus experti sumus, Terræ motibus magna Italiæ pars concussa, idque alicubi non parvo urbium atque oppidorum damno. Quid igitur? an non sapienter, ut alia multa, hæc etiam Aristoteles enunciavit? Quid porro ex his omnibus inferri non immerito possit, non ex me, sed ex Galilæo ipso, audiendum censeo. Ille enim, cum sua hæc experimenta exposuisset, addidit: « Hæc nostra sunt experimenta, » nostræ hæ conclusiones, ex nostris principiis, nostrisque opticis » rationibus deductæ. Si falsa experimenta, si vitiosæ fuerint » rationes; infirma ac debilia futura etiam sunt dictorum no- » strorum fundamenta. » His ego nihil ultra addendum existimo.

Digitized by Google

Atque hæc illa sunt, quæ mihi in hac disputatione, ob meam erga Præceptorem observantiam, dicenda proposui; (quibus ostendi certe conatus sum) primum, justam a Galilæo (atque hic princeps fuit scribendi scopus) querelarum materiam Præceptori meo, a quo ille perhonorifice semper est habitus, oblatam fuisse (1)*: deinde, licuisse nobis, in edita illa disputatione, per parallaxis ac motus cometici observationes ejusdem Cometæ a Terra distantiam metiri; atque ex tubo optico, parvum admodum Cometæ incrementum afferente, aliquid etiam momenti rebus nostris accedere potuisse* (2)*. Præterea, non æque eidem Galilæo licuisse, Cometam e verorum luminum numero excludere, ac severas adeo motus rectissimi leges eidem præscribere. Ad hæc, constare ex his, aerem ad Cœli motum moveri, atteri, calefieri atque incendi posse: ex motu per attritionem calorem excitari, nulla licet pars attriti corporis deperdatur: aerem illuminari posse, quotiescumque crassioribus vaporibus admiscetur: flammas lucidas simul esse atque perspicuas: quæ Galilæus ita se habere negavit. Falsa denique deprehensa experimenta illa, quibus fere unis ejusdem placita nitebantur. Hæc autem innuere potius, quam fusius explicare volui; cum neque plura exigi viderentur, ut pateret omnibus, neque nos infirmis rationibus ductos eam, quam proposuimus, sententiam cæteris omnibus prætulisse* (3).

(1) *Vedi la Postilla N° CLXXIV.*
(2) *Vedi la Postilla N° CLXXV.*
(3) *Vedi la Postilla N° CLXXVI.*

Digitized by Google

POSTILLE

DI GALILEO GALILEI

ALLA

LIBRA ASTRONOMICA [1]

I. L'essersi il Sarsi mascherato gli è di gran pregiudizio, perchè alle maschere, quando anco fossero principi, si può tirar le meluzze e i torsi.

II. Cavasi dunque di qui, conforme alla verità stessa, quella scrittura essere stata fatta per dar satisfazione al vulgo.

III. Che concetto plebeo è questo di pigliare, o considerare *ex professo* un libro, e poi di cento cose notabili scerne solamente cinque o sei, che paiono da riprendersi, lasciando tutte le altre indietro! Questo è un voler pesare solamente i tarantelli.

IV. *An non et tu profiteris primariam tuam esse intentionem Aristotelem oppugnare?*

V. *Non sibi constat: hic enim ejus est sententiæ, ut summorum virorum placitis standum sit; attamen in suo tractatu de Cometis maxime Aristotelem impugnat, ut infra quoque aperte profitetur. Rectius diceretur et verius:* ut esset saltem qui aliqua ex multis quæ in disputatione etc. *Nota et quod ipsemet se ipsum describit; dum enim dicit:* ut esset saltem aliquis, *fatetur se esse unum* sal-

(1) *Quantunque la materia di queste Postille sia stata da Galileo più ampiamente sviluppata nel* Saggiatore, *tuttavia il rispetto dovuto a tanto nome ci ha consigliato di pubblicarle nella loro integrità.* Gli Editori.

Digitized by Google

tem aliquis: *nempe obscuri nominis, ac parvi faciendum hominem.* E però come tale, e di più essendo ancora scolare, potrò io, che son maestro vecchio, parlar seco con qualche maggior libertà, e tanto più comparendo anco mascherato, se gli potrà dar della neve.

VI. Il Sarsi ammette, che il Galileo abbia tassate tali argomentazioni molto avanti la pubblicazione del discorso: adunque il tassarlo non è stato per offendere il Grassi, anzi l'aver il Sig. Mario stimate vere le opposizioni del Galileo, e poi messole in dubbio quando sentì il Grassi esser contrario, arguisce essere stata fatta stima di esso Grassi più che degli altri.

VII. Lasciate dire a me, e domandare in che modo io sia stato digradato, che avendo già con tanta pompa portate le cose mie, possino ora scriver libri interi per tassarli, senza pur mettervi una sillaba di laude o applauso: fu dunque la prima una burla e adulazione, ovvero si può con la vostra filosofia laudare e dannar le medesime dottrine, secondo che la pace o la stizza vi trasporta.

VIII. Più è da meravigliarsi, che costui senza necessità mi abbia messo in necessità di dover mostrare al mondo, esser pur troppo vero che ne sanno poco. E quando pure io mi meravigliassi, non sarebbe senza ragione. E non è egli gran meraviglia, che le cose, ch'io mai non dissi neppur pensai, vi siano appunto state portate dai venti, ma non già quelle ch'io dissi mille volte e scrissi? Ma forse i venti han forza di portar le nugole e le chimere, che in esse talvolta si figurano, ma non già le cose gravi, sode e reali.

IX. *Causa manifesta: veritatis studium.*

X. *Hoc totum falsum est.*

XI. *Absit eum a Ticone hæc accepisse. Tico enim hic se penitus Geometriæ ignarum ostendit; et hinc quoque constat Sarsium non esse Grassiuu: hic videtur auctor ejus esse sententiæ, ut credat, sterilem omnino futuram esse mentem suam, nisi alterius placito maritetur: verum sic non sponsa, non mater, sed obstetrix potius et alumna dicenda erit.*

XII. Io non pretendo di aver modi da penetrar gl'intimi segreti nè con gli occhi, nè anche con gli orecchi.

Digitized by Google

XIII. *Hic gratis producitur aut Ptolemæus aut Copernicus: neuter enim cometarum phænomenis solvendis theoricas construxit ullas: intelligere autem de integro mundano systemate, et extra rem esset, et Ticonis quoque pollicita desiderantur.*

XIV. *Nec luget nec plorat: falsa sunt hæc omnia.*

XV. Ma voi vi siete fermato su' fiori, e non avete portati i frutti, mentre per provar l' orbe cometario avete ec.

XVI. *Quod displicet, est in quæstionibus gravissimis et arduis poeticas afferre rationes, et præter jocos nil aliud; hoc enim non est inter gravissimarum rerum pondera lepide aliquando jocari.* Nè ci dispiacciono gli scherzi, purchè altri non si persuada con gli scherzi aver provate le più gravi conclusioni: e che questo sia il vero, non si è ripreso il natale, l' alloggio, l' esequie della cometa.

XVII. Anzi ha luogo più qui ch' altrove: imperocchè non ci arebbe luogo se la Cometa fusse quello che dice Aristotele, cioè un reale incendio; ma voi che impugnate tale opinione e stimate ch' ella non sia un incendio, siete bisognosi di prova ch'ella non sia neanco un fantasma: bisognosi non saresti di tal prova, se voi convenissi con Aristotele nel credere ch' ella fosse un incendio.

XVIII. Minore offesa è il dire che uno non ha pensato a una cosa, che il dire che un altro pensandovi ha detto una sciocchezza; e però era meglio che il Sarsi ammettesse, che al suo maestro non era sovvenuto che la Cometa potesse essere un' apparenza, che il dire: al Galileo è sovvenuto un'inezia.

XIX. *At si illi putabant caput esse reale, cur dixerunt cometas meridionales non videri a septentrionalibus, eo quod visus non poterat refrangi ad solem? Et cur non dixerunt, apparere quidem caput, eo quod reale erat, non autem barbam, quia hæc non realis?*

XX. *Et hoc præstantiæ et dignitatis maximum est argumentum. Videmus enim et leonum, et generosissimorum animalium minus numerosam esse prolem; sed murium, et fatuorum piscium e contra. Et quis unquam credat, vere sapientium majorem esse numerum, quam insipientium?....*

Digitized by Google

XXI. *Galilæus non scripsit de linea horologii; quæro ne illi tribuas hasce pueritias.*

XXII. *Diminuta est hæc responsio: si enim disputatio est adversus eos qui de motu circulari Cometæ non ambigerent, cum nullus eorum dixerit esse per circulum minorem; frustra contendis probare fuisse maximum. Non valet tuum dictum, quod non agis de motu recto, quia nulli venit in mentem; sic non agendum erat de circulo maximo, quia nullus unquam dixerat moveri per minorem.*

XXIII. *Imo, magis reprobanda.*

XXIV. *Si hoc constabat, ergo non defuerunt auctores qui eum motum confutarent; sed a te supra dictum est neminem, Keplero excepto, de illo loquutum esse. Keplerus autem motum rectum posuit, et non confutavit.*

XXV. *Opus certe fuerat saltem, ut ostenderes, te intellexisse, quod omnia lata in eodem plano, in quo sit oculus, secundum lineam rectam ferri apparent; dicendumque tibi erat, quia Cometes apparet latus secundum rectam, ergo aut vere recta fertur, aut in circulo maximo; sed non recta, quia repugnaret Scripturæ; ergo etc. Insuper dato, quod omnibus perceptum esset Cometem ferri per circulum, tibi certe id ignotum, vel saltem dubium erat; ut patet ex his quæ scribis infra statim, ubi pro possibili habes motum ejus potuisse esse non circularem.*

XXVI. *Primum non erit ergo per circulum maximum, sed, quod pejus est, numquam digredi poterit gr.* 90; *et alia absurda sequentur.* Voi poco sopra vi siete servito per scusa del non aver considerato il moto retto, perchè altri non l' avevano introdotto; ma io ora molto meglio potrò scusarmi di non aver per il medesimo rispetto considerati questi altri moti. Veramente non mi venne in mente di poter far tal giudizio, avvengachè esso è impossibile, e io non son uso ad ammetter gl' impossibili, come mi par che siate uso voi, poichè poco sopra vi persuadeste di aver necessariamente provato il moto della Cometa esser stato per cerchio massimo, e ora non avete per assurdo il pronunziare ch' e' possa essere stato per un ovato, e anco per altre linee del tutto irregolari. Se voi provavi a far le figure, vi chiarivi degl' inconvenienti che seguono; e veramente essendo voi stato così diligente a delinear altre figure assai meno necessarie,

Digitized by Google

dovevi segnare anco queste. Ma vi metteva conto non le disegnare, perchè disegnandole non areste potuto chiappare nè anco le persone grossolanissime, dove che così ne avete chiappate alcune.

XXVII. Ah! messer Lottario, questo era tempo di consumar sei faccie di scrittura, trattandosi di un punto principalissimo, e non nelle seguenti arcipedanterie.

XXVIII. *Non dicit hoc incrementum esse infinitum, sed dicendum esse potius infinitum, quam nullum, seu insensibilem: id autem constat, quia, quando de ipso loquimur absolute, appellamus maximum, non autem infinitum.* Ma veggasi come cammina il suo discorso, mentre vuol tassare il Galileo di poca logica e sostener vera la sua conclusione. Egli dunque dice così: È vero che molte fisse di invisibili si rendono visibilissime; ma tale effetto non si può chiamare augumento infinito: adunque le stelle fisse non ricevono augumento alcuno, o insensibile.

XXIX. *Bene dicis: sed hoc non est error in logica, nisi forte quælibet contradictio error in logica vocanda sit.*

XXX. *Attamen, licet apparens motus rectus a pluribus causis possit haberi, error fuisset, ait Sarsius, si magister suus aliam causam attulisset præter motum in circulo maximo.*

XXXI. Tu sei un solennissimo bue. Dato che queste tue pedanterie avesser luogo, toccava al P. Grassi, che fu il primo a trattar di questa materia, a produrle, considerarle e distinguerle, quando scrisse che la Luna cresceva molto per la vicinità, e le Fisse poco o niente per la somma distanza: or questo viene impugnato, preso così come fu posto, mostrandosi, che le Fisse crescono come la Luna, qualunque poi si sia la cagione di tale accrescimento. E il P. Grassi credo che, come giudizioso, lasciasse a posta queste più che pedanterie.

XXXII. Mi par di vedere, che il Sarsi vada introducendo questi due modi di far vedere, per servirsi dell'uno (che lavora senza ingrandire) per le Stelle: ma e' bisognava ch' e' provassi che quello dell' ingrandire non operasse nelle Stelle, e l' altro sì, e non portar proposizioni senza provarle nè per vere, nè per operanti; e questo, messer Lottario, è un errore in logica, e il maggior che si faccia.

Digitized by Google

XXXIII. Da questa scrupolosissima esamina può il Sig. Mario rendersi sicuro di non aver peccato mai nel suo trattato; perchè se questo errore che è incorso nella vista del Sarsi è, come si vede, nullo, chiara cosa è che altri non ve ne sono di più notabili.

XXXIV. Ciò mi è non solo inaudito, ma chi mi avesse domandato s' io credevo d' esser per udirlo giammai, gli avrei detto di no.

Perchè questo favore è compagno di quell' altro per provar la distanza immensa della Cometa mediante il poco ingrandirla, io gli resterò egualmente obbligato di amendui.

Se il medesimo oggetto ha da esser veduto sotto maggior angolo, bisogna che il suo lume e raggi si disperghino.

Se in questo discorso fusse verità, gli oggetti veduti con traguardi di mano in mano più acuti, sì come appariscono maggiori, così doveriano apparir più lucidi; ma accade tutto l' opposito.

XXXV. Perchè l' argomento procederebbe quando si facesse l' unione de' raggi, già che l'esperienza è contraria a questa conclusione, bisogna che la dimostrazione sia falsa, e che i raggi non si unischino.

XXXVI. Qui sarebbe occasione di discorrere, che altramente vede l'occhio di quel che i vetri portano le specie.

XXXVII. Qui sono grandissimi spropositi; perchè l'oggetto visto per il cannone passa per traguardo concavo, il quale dilatando, e non unendo i raggi, come mostra l' esperienza ec.

XXXVIII. *Sed per te non augentur, ergon ec illuminantur. Hic apparet Sarsium lusisse in superiori discursu.*

XXXIX. *Et quia cum per tubum conspicimus oculi non excæcantur, quando non fit unio: dilatari autem radios constat experientia, quia in papyro remotiori major circulus designatur.*

XL. *Nota quod hic dicitur, Fixas nullum sensibile recipere incrementum, Lunam vero maximum.*

XLI. Non vi è alcuno che dica, che voi vogliate vender questo argomento per merce preziosa, se non voi stesso, che dite, *maximam in eo esse vim etc.*; dove io all' incontro dico, *nec minimam esse.*

Digitized by Google

XLII. *Hoc factum esse hac de qua scribitur causa, ut scilicet amicorum dictis aliquod daret, constat mihi vel ex eo quod scripsit, staturam hominis æquasse; non enim credendum est tantum virum hæc anilia scripsisse, et plusquam vulgaria.*

XLIII. *Nullibi id reperitur.*

XLIV. Mal modo di difenderlo dagl' invidi che calunniano con esso gli effetti veri, con attribuirgli operazioni falsissime, e che subitamente si convincono di falsità: e oltre a ciò, se voi pretendete che il Galileo vi dovesse restare con obbligo per aver voi voluto sostenere un effetto falso dell' occhiale, quanto più ragionevolmente può egli pretendere che voi restiate obbligati a lui, mentre egli vi ha insegnato tal effetto esser falso, e cavatovi d'errore? E egli per questo mi deve doventare inimico, sì come voi scrivete? Ma forse appresso l' ignoranza di costoro è bene esaltarlo con cose false: il Padre è più mozzino di me.

XLV. *Et ego aliunde intelligo parvi hoc factum fuisse a Grassio argumentum; nempe ex eo, quod ille reponit Cometam infra solem, qui tamen maximum augumentum recipit; sed cum Marius id non advertisset, egit ex singrapha, id est ad ipsorum verborum sensum.*

XLVI. Si deve dunque perder l' amico per trarlo d'errore?

XLVII. Se questo è vero, gran torto fate a tener poco conto dell'argomento di sopra, perchè al mondo non si può trovar la più bella cosa. Qual più bella cosa, che il determinar le distanze de' pianeti, e misurar con una stazione, e mille altre cose rare? Voi bilanciate malissimo.

XLVIII. Signor Lottario, qui si parla di guardar dalla Luna in su. *Nota, quod scribitur a Grassio Cometam reponendum esse infra Solem, cum tamen Sol quam maxime augeatur per tubum, nempe ut Luna etc.* Messer Lottario, voi ci vorresti cambiar le carte in mano; e come la balia toglie il gioiello al bambino, e mostrandoli il Cielo dice: ve' ve' gli angiolini, e suppone in luogo della gemma una castagna; così vorresti voi con divertiticoli gettarci la polvere negli occhi, e trattarci da insensati. Non è già questa dottrina gesuitica!

XLIX. Voi non potete concluder la Cometa esser sopra la Luna, se voi la potete vedere senza alterar l' occhiale dallo stato nel quale voi guardate la Luna: e universalmente, se il senso

Digitized by Google

nostro non ci necessita a variar lunghezza, non si potrà mai conoscer diversità di lontananza.

L. Messer Lottario, i vostri argomenti in forma son da farsi ai vostri condiscepoli, e non a chi ha la barba bianca.

LI. Voi vorresti darci ad intendere, che il P. Grassi avesse benissimo saputo il tutto, ancorchè egli non nomini mai l'accorciare, che è vera causa, e nomini la distanza, che non è causa. E che fatica era a dire: gli oggetti diminuiscono per l'accorciar del cannone? *Adde igitur, ut tuam intelligas ignorantiam, quod cum causa incrementi et decrementi in productione et contractione instrumenti consistat, augumenta et decrementa respondent productioni et diminutioni tubi, et non remotioni et propinquitati objecti, cumque ultra* 1000 *passus insensibiliter, et ultra Lunam nil penitus contrahendus sit tubus, quando Fixæ nil penitus minus recipiunt incrementum quod Luna. Scripsit autem P. Grassius, Lunam maximum, Fixas vero nullam sensibilem recipere magnitudinem, seu, ut rectius dicamus, augumentum nullum.*

LII. *Vide quantum id verum sit, obiecta enim non imminuunt suam rationem angulorum, sed subtensarum (et hoc novum erit Sarsio); quæ ratio semper eadem est atque distantiarum.*

Vorrebbe il Sarsi ingannarci, come fa il pittore, che nel dipinger l' aurora passa dal color bianco all' azzurro con tal destrezza, che a guardare una striscia di larghezza di quattro dita per volta, par tutta del medesimo colore, ma gli estremi *maxime distant:* così a legger di quattro in quattro versi.

Se il Sarsi credeva la sua conclusione esser vera, doveva risponder a tutte le esperienze e ragioni del sig. Mario, non lasciar senza rispondere all'argomento degl'intervalli, dell'ecclisse solare ec.; perchè una sola dimostrazione che resti in piedi, basta; avvenga che intorno ad una conclusione vera si posson bene scriver molti argomenti fallaci, ma non si può già scrivere una dimostrazione vera intorno a una conclusione falsa.

LIII. *Vide quam verum sit quod comprehenditur in parenthesi.*

LIV. No, messer Lottario, io non ho bisogno del *saltem;* tocca a voi a raccomandarvi e a stiracchiare.

LV. È forza che costui creda, che la diversità e identità

Digitized by Google

dello strumento consista nella diversità e identità della materia; il che nei propositi di che si tratta è falsissimo. Vorrei sapere che differenza è tra due occhiali diversi, altro che l'essere uno più lungo dell'altro; perchè la diversità ha da porsi in alcuna cosa che costituisca l'essere.

LVI. Mi fa costui sovvenire di quel serpe, che essendo stato tagliato in molti pezzi, e morto, pur ancora va divincolando l'estremo pezzo della coda, con speranza di dare ad intendere a' viandanti sè esser vivo e vittorioso.

LVII. *Et ego e contra: quæcumque eodem instrumento spectari postulant, idem ex instrumento capiunt incrementum; sed Luna et Fixæ non postulant diverso spectari instrumento, ergo hoc argumentum* è a sproposito.

LVIII. *Sed, omnium stultissime, quid aliud ex hoc argumento colliges, nisi quod remota breviori conspecta instrumento minus augentur, quam propinqua longiori? Sed hoc nihil est, nam non minus remota quam propinqua longiori instrumento magis augentur.*

LIX. Notisi l'artifizio di costui, il quale finalmente dopo molte girandole confessa così alla sfuggita di avere il torto, ma intanto spera che il lettore rimanga con opinione, ch'egli abbia prodotte di sopra cose molto a proposito: però se gli replichi a lettere da scatola, che il P. Grassi ha scritto, che la Luna ricresce assaissimo, e le Fisse insensibilmente; il che è falso, ricrescendo egualmente. Inoltre quello disse, che secondo la maggior lontananza il ricrescimento era minore; il che parimente è falso, perchè tal varietà dipende dalla lunghezza del cannone, e non dalla lontananza dell'oggetto.

LX. *Nunquam miratus sum Fixas insensibiliter augeri, sed quod Grassius dixerit, hujus effectus causam esse remotionem, adeo ut ex converso dixerit ea quæ insensibiliter augeantur esse remotissima: quæ omnia falsa sunt.*

LXI. Messer Lottario mio, io vi posso concedere che tutto questo vostro discorso sia vero (se ben son fanfaluche da niente); ma sappiate, che noi non siamo tanto semplici, che noi non conoschiamo che questo è un argomento diversissimo dall'altro di cui si parla; e voi vorresti mascherarlo, e dar a credere

Digitized by Google

al lettore poco attento (de' quali ne arete gran numero) che e' sia una confermazione buonissima del primo: ma in somma ed il primo ed il secondo non vaglion nulla, e dell' irraggiarsi molto ne è causa la vicinanza all' occhio, e però Venere perigea s' irraggia assai.

Ma più, quando ben con cento argomenti voi provassi concludentemente, che la Cometa fosse sopra il Cielo empireo, questo non solleva punto il vostro muro, nè aggrava il signor Mario; perchè noi non aviamo mai detto, che la Cometa non possa essere altissima, ma solo dubitato circa le ragioni apportate dal Padre, le quali non acquistan nulla da mille altre prove che voi faceste della verità della conclusione, perchè si posson benissimo fare mille paralogismi circa una vera conclusione.

LXII. *Nota, Lunam ascititiis radiis vestiri; sed ob magnitudinem non apparere, quod etsi tantum extremitas cornu spectetur, non enim tantum vicinitas Solis, sed nostri etiam capillitium facit, ut clarissime in candela videre est. Exiguum lumen coronatur circulo radioso, sed si verum corpus lucidum magnopere excedat coronamentum, tunc absque radiis apparet. Exempli gratia, a meditullio Lunæ fit coronamentum, quod ultra orbitam Lunæ non extenditur, quando limbus Lunæ irradiatus non apparet, vel potius quia species Lunæ totum occupat locum in oculo, in quo recipitur radiorum ascititiorum inradiatio.*

LXIII. *Sed scire debes, Sarsi, talium suffragiorum mille longe minoris esse momenti in eo, quod intendis, persuadendo, quam in una tantum observatione Marii in dissuadendo. Et cur non respondes argumento sumpto a candelæ flammula passus centum remota, quæ idem præstat ac Fixæ, ut etiam rimula cui opponatur paries a Sole illuminatur?*

LXIV. *Ne id censeas, quia hæc nunquam ipsius Galilæi fuerunt.*

LXV. *Id nil aliud probat, nisi te multos habuisse socios in oscitantia.*

LXVI. *Si quando ex simplici intuitu hæc judicare licet, adeo ut quæ veris luminibus similia sunt, non spectra, sed vera lumina judicanda sint, Solis, Lunæ, Stellarum et reliquorum omnium corporum imagines, quæ in aqua et speculis videntur, veri Soles,*

Digitized by Google

Lunæ, Stellæ et vera corpora erunt; adeo enim vera objecta repræsentant, ut nulla prorsus vel minima, quoad aspectum, intercedat differentia.

LXVII. *Et quod ex ipso aspectu verius apparet, quam nostra in speculo imago? vera ne ob hoc est?*

I lumi ne' monti che paiono stelle?

LXVIII. *Hic non loquitur nisi quod non fuerit elementaris, non autem non fuisse spectrum.*

LXIX. *Hæc omnia tamquam probabilia ponuntur.*

LXX. *Hæc non reperiuntur in libro Marii.*

Di sopra il Sarsi si andava da per sè fabbricando i mezzi per provar le conclusioni; ora si va figurando conclusioni di suo capriccio per poterle impugnare.

Dallo stomaco si sollevano vapori torbidi, che saliti al cervello, congiugnendosi con fantasmi alterati, partoriscono mostri e chimere.

LXXI. *Ne dicas*, sed demus: *dicendum est, te nihil dare, cum nihil quod des habeas.*

LXXII. *Sed quid, si dicamus, ex aquilone transversim impulsum fuisse vaporem ascendentem, donec ventosam regionem incederet, illa autem superata tamen recta ascendisse?*

LXXIII. *Hæc omnia vanissima sunt, cum nec ad altitudinem quorundam montium extendatur atque ascendat ventorum fluctuatio; tu autem altissimum ponis Cometem.*

LXXIV. *Et ista borealis aurora stella appareret ex maxima distantia visa:* e così veggiamo una nugola da lontano terminata, la quale a chi vi è dentro par che occupi tutto 'l mondo, e un che fossi nella Cometa gli parrebbe essere in un mondo nuovo, se però s' accorgesse d' esservi dentro.

LXXV. *An non et maris superficies, clarissimo perfusa lumine, non omni ex parte candidissimam se exhibet, sed ex una vix rimula ad aspicientis oculum se exhibet? quod autem reliquum est, a Cœlo non distinguitur.*

LXXVI. *Sed tibi fides non est exhibenda, cum sæpissime hallucineris.*

LXXVII. *Et hujus nubeculæ lumen longe inferior fuit candori auroræ, cum in eo apparuerint et minimæ stellæ.*

Digitized by Google

LXXVIII. *Vide ne potius a Luna ante suum exortum illustraretur; si enim nubecula fuisset, et a Sole illustrata, eademmet Luna splendidior apparuisset: id enim manifeste cernitur in cæteris nubibus a Sole illuminatis etc.*

LXXIX. E che sai tu, che quel che tu vedevi fosse tutta la nugola? Inoltre lo specchio piccolo è illuminato tutto dalla candela, e la nugola nella quale si fa l' alone sarebbe illuminata tutta, se la non fosse maggiore dell' alone; e dell' iride se ne veggon pezzi quando le nugole non lo capiscono intero.

LXXX. *Attamen inter nubes longissimi illi tractus, Cometis persimiles, sæpius cernuntur, ex determinatis tamen locis.*

LXXXI. *Numquam a nobis determinatum est, Cometam ex fumidis vaporibus oriri, nec de eorum figura.*

LXXXII. Vi dico che ho la cicala in mano, e non so come la canti; però posso ben dir della Cometa, che così lontana ec.

LXXXIII. *Solvitur et exemplo iridis, et halonum, et parheliorum, et maris superficiei, et nubium perfractarum etc.*

E la Cometa ricerca una materia diversa da questa, ma non ben conosciuta da noi, la quale non fa la Cometa, se non risoluta in cosa ignota a noi.

LXXXIV. Il cristallo triangolare, che non è umido, fa l' istesso, e in tutti i corpi si veggono tutti i colori. *Ego autem dico, posse etiam non lævem, ut speculorum superficiem, sed interdum anfractuosam ad id præstandum magis esse accomodatam. Sic in phiala oritur Cometes, non cum lævis est, sed crispa; sic in mari longus fit tractus luminosus, cum sinuosum fuerit.*

LXXXV. *Et hoc falsum est, nam ex ligno, imo et ex pariete, fit etiam imaginis reflexio.*

LXXXVI. Bisogna mettere in luogo opportuno coloro che studiano le matematiche e la filosofia sul Calepino.

LXXXVII. *Nota, fieri posse Cometæ lumen adeo esse exile, ut si quis in eo esset vix se inesse sentiret, licet a longe adeo terminatum et clarum appareat: constat id ex illis ignibus, qui perpetuo in nocte elucere cernuntur, et multo fortius quam Cometa; si quis tamen ad illos accedat vix acre vi quidem conspicit.*

LXXXVIII. *Et candor auroræ stellarum splendorem superat.*

Digitized by Google

LXXXIX. *Modo videt auctor, Cometam et densiori ex materia et opaciori quam stellarum esse compositum.*

XC. *Non intelligit unde proveniat alteratio in stellarum distantiis: ex refractione.*

Notisi qui la debolezza di coloro che vogliono levar la multiplicità degli orbi celesti, per la mancanza di diversità nelle refrazioni.

XCI. Il suo Maestro dice in contrario, cioè di non aver avuto strumenti atti a questo servizio; però si può dire al Sarsi, che non gli crediamo che egli abbia prese queste misure così esattamente.

XCII. *Vel adeo elevatos.*

XCIII. Se non vi erano, da qual materia si faceva la coda?

Hoc falsum est; dicitur enim tantum hujuscemodi fumositates per Cœlum discurrere etc.

XCIV. Prima volse che io avessi detto, che la materia era quella dell'aurora boreale; talchè ho fatto bene a mettere il protesto della caraffa.

XCV. *Sed quid ignem in gyrum vertit? quid trabem, post rectum e sublimi descensum in flumen rapidissimum, in gyrum circa terram convertit?*

XCVI. *Id potius te doceat, non eamdem prorsus fuisse materiam Cometæ et solarium macularum.*

XCVII. *Cur non dicis in oppositam partem, et non in eamdem?*

XCVIII. Se il Sarsi non vuol far peggio a me che a sè, dovrà concedermi la vittoria, poichè questa dimostrazione fa per me.

XCIX. *Hoc falsum est; non enim hæc dicuntur a Galileo.*

C. Se posta la Cometa lontana da terra 100 miglia, ch'è assai più che l'altezza della region vaporosa, la parallasse tra Anversa e Roma è più di 56 gr., come prova il P. Grassi; ben posso io dire, che la parallasse osservata nella Cometa, qualunque ella sia, sia tanto piccola che atterri Aristotele.

omnino hominum est, Cœlum tueri et erectos ad sidera tollere vultus sibi non licuisse intelligunt, quin illico e tanta suspicientium turba unus Galileus existeret, qui uni sibi ea visa contenderet, quæ eodem plane tempore in omnium poterant oculos incurrisse (1). *Enimvero lis hæc digna prorsus Salomone, ejusque arbitrio dirimenda videretur, qui sapienter adeo ac solerter, inter mulierculas de filio superstite disceptantes, veram matrem agnovit; nisi dispar hujus partus conditio plures etiam matres admitteret. Par certe omnibus tuendi erat aviditas, acies oculorum æque omnibus perspicax, telescopiorum par copia; quidni igitur in idem tot oculorum ictu destinato collimarent plurimi? Potuit, si Galileo credimus, in Belgio Batavus telescopium primus concinnare, idemque, ubi inaudivit, Galileus præstare Venetiis, ita ut neuter tanti inventi gloriam alteri imminueret, possetque uterque pulcherrimi instrumenti verus auctor haberi: non ergo plures siderei nuntii censeantur, si eodem pene tempore e sidereis regionibus citatissimis ad nos equis profecti omnes eadem quæ viderant enarrarint* (2)*? Sed hæc in aliorum causa.*

Nunc ad me venio, cui inurbanitatis primo vitium objicitur, quod Marii Guiduccii disputationem de Cometis aliis adscripserim, nullaque honestissimi ac doctissimi viri habita ratione, librarioli eum loco ac descriptoris habuerim. Quamquam vero nihil accusatione ista affertur, quod Cometarum naturam, locum motumque expediat (quod unum præstari par fuerat), quia tamen, Urbano Principe, inurbanitatis vitium maxime dedecet (3), *pauca pro me in hac causa loquar. Ajo igitur, Marii ingenium atque eruditionem non vulgarem perspectam mihi a multis annis fuisse, eumque mihi semper eo loco habitum, quo illum par nobilitati virtus collocarat: neque unquam dubitasse me, an ea disputatio, si stylus, dispositio ac scriptio universa spectetur, Marii foret; quin etiam scire me, eumdem, si libuisset, opus longe præclarius suoque magis ingenio dignum moliri potuisse. Cæterum, quia placita solum atque sententiæ fuerant expendendæ, quas et suas nunc quoque fatetur Galileus, et Marius suæ disputationis initio ejusdem esse affirmarat* (4); *cum quid hac in re sensissent alii, se*

(1) *Vedi la Postilla N° XII.*
(2) *Vedi la Postilla N° XIII.*
(3) *Vedi la Postilla N° XIV.*
(4) *Vedi la Postilla N° XV.*

Digitized by Google

prius expositurum dixisset: Appresso vi proporrò quanto io, non affermativamente, ma solo probabilmente e dubitativamente stimo in materia così oscura e dubbia potersi dire. Dove vi proporrò quelle conghietture che nell' animo del vostro accademico Galilei hanno trovato luogo, le quali, traendo origine da quel nobile sublime ingegno, che mediante ec., non dubito che non vi debbano al pari delle altrui conclusioni esser graziose e care. Così fusse conceduto a me di saperlevi vivamente spiegare, chè io non pregerei meno la lode di esser stato buon copiatore (1), di quella che hanno voluto usurparsi coloro, che d' altre sue opinioni si son voluti far inventori. *Marius ergo id unum magno sibi decori ac laudi futurum asserit, si summa fide, atque iisdem plane lineamentis quibus ea acceperat a Galileo, suis auditoribus explicaret. Ego vero eum mihi refellendum duxi cujus essent dicta, non eum qui ea retulisset. Atque, ut hac in re nihil a me minus urbane factum appareat, causam alio transferam, non absimili tamen exemplo. En tibi, in arte pingendi (quando et hinc Marius suum desumpsit exemplum), si graphidem præsertim spectes, Michaelem Angelum Bonarotum principem sisto; sunt tamen qui ad absolutissimi pictoris laudem in illo colorum suavitatem, decorum in compositionibus et in corporibus mollitudinem desiderent. Fac igitur Andream Sartium, et ipsum inter artis principes numerandum, tabulam aliquam Bonaroti manu pictam imitandam atque exprimendam sumpsisse, in eaque non solum lineamenta illa vere egregia, sed, ut ipsum plane mentiretur auctorem, colores etiam illos insuaves et asperos, lacertosa plus nimio corpora et tuberosa* (2), *gestusque fractos et indecoros ita expressisse, similemque adeo tabulæ tabulam finxisse, ut esset tam similis sibi nec ipsa: an idcirco Andreæ quisquam colores minus belle digestos, torosos plus nimio homines, et inconditos eorum gestus objecisset? Non, arbitror: sed Bonaroto ea vitio tribuisset, cujus erant vitia, quæque tam belle expressa laudem potius imitanti peperissent. Ita, dum quid alius de Cometis sentiret exposuit Marius, ut laudem non modicam meritus sit, quod erudite ac summa fide id præstiterit; si qua tamen in iis dictis minus probarentur, non erant*

(1) *Vedi la Postilla N° XVI.*
(2) *Vedi la Postilla N° XVII.*

Digitized by Google

Mario tribuenda, qui eam tantum laudem aucupabatur, ut ea ad vivum, sicut acceperat, explicaret. Hæc ego pro me, ut cum honestissimo viro in gratiam redire liceat, cujus jacturam non nisi ægerrime laturus sim.

Lotharii nomen *(inquit)* inauditum adhuc, non nisi persona ac larva est alicui imposita. *Verum si quem tegit hæc larva, non usque adeo immutat ut internosci attentius intuenti* (1) *non possit. Sed nimirum conniventi nil prodest lynceis esse oculis, et, perinde ac cæco, huic omnia in tenebris jacent: ubi illud Tertulliani venit in mentem:* malunt nescire, quia jam oderunt; quod si sciant, odisse non poterant, quando nullum in eo odii debitum deprehendatur. *Cui dicto etiam ipsius Simbellatoris consonant verba, quibus* ideo nolle se ficti larvam hanc nominis ulli detrahere, *asserit,* ut sibi hac ratione liberius licentiusque loquendi sit potestas (2).

Verum, ut se res habeat, scio honestissimis etiam viris, si quando festiviores acturi dies se se publico committunt, id moris esse, ut persona tantisper simulata ludicro indulgeant operi (3). *At vero in viis et compitis nuda fronte apertoque vultu se se cum larvatis componere, et cum iis de dicacitatis palma contendere, neminem credo deceat, nisi forte eum qui etiam nativum illud ingenui oris velamentum abjecerit, quod honestis viris Natura concessit, pudorem et verecundiam. Minus igitur hoc ipsum eum decuit virum, quem genere honestum, moribus gravem, ætate senem, professione philosophum novimus. Tamen qui Libram meam cum Simbellatore contulerit, intelliget (ni fallor) quanto minus mihi, vel sub aliena fronte, ut Galileus existimat, licere voluerim, quam sibi ille sub sua* (4).

Nunc ad disputationem meam: cui primum objicitur, perperam in fronte gestare Libræ *nomen. Me miserum! pro meo hactenus nomine mihi certandum fuit: jam ne operi quidem meo tuta est nomenclatura, Cælo licet indita. Sed enim impressa nimis alte est, nec deleri amplius potest. Videamus ergo quas huic nomini*

(1) *Vedi la Postilla N° XVIII.*
(2) *Vedi la Postilla N° XIX.*
(3) *Vedi la Postilla N° XX.*
(4) *Vedi la Postilla N° XXI.*

Digitized by Google

evadendo machinas adhibeat, atque ex his, si placet, primis cæterorum conjecturam faciamus.

Nomen hoc *(inquit)* ideo operi suo imposuit Sarsius, quia, ut in præfixis eidem operi versibus indicavit, Cometam in signo Libræ natum existimavit; quod et veritati et magistri illius dictis repugnat, quorum testimonio in signo Scorpii natus asseriritur.

Sed age, citati a Galileo versus recitentur (1).

Dum per minorum siderum ardentes globos
Dira Cometes luce cæsariem explicat,
Gelidasque in Arctos igneam vibrat facem;
Quid ille lances inter æquatas micat,
Primosque Libræ consecrat vitæ dies? etc.

Inter æquatas igitur Libræ lances natum Cometam asserunt versus mei. Age igitur, Galilee, verax astrorum interpres, age, sidereæ nuncius aulæ (2), *dic, amabo te, in quo signo Libræ lances reponis hoc tempore? En omnes ex ore tuo, quasi e veritatis oraculo, pendemus. Profecto, non dicam si lynceus es, sed si cæcus non es, illas in medio Scorpii signo fulgere fateberis, non autem in signo Libræ. Annuis? sapis; sed sapis amplius aliquanto mihi quam tibi. Dicam igitur brevissime. Libræ lances non in signo Libræ, sed in signo sunt Scorpii; at versibus meis Cometa lancibus inseritur Libræ; ergo Scorpii, non Libræ signo a me in versibus meis addicitur: qui ergo asserit in meis versibus haberi Cometam natum in signo Libræ, falsum omnino asserit. Atque hoc primum. Præterea qui me arguit, quod Libræ lancibus id adscripserim quod Magister meus signo addixerat Scorpii, is quoque illum mendacii accuset qui equestrem M. Aurelii statuam in Capitolio spectari dixerit, quod eam alius Romæ se vidisse affirmavit* (3). *Ecquis enim non videat, si Libræ lances signum occupent Scorpii, nihil in Libræ lancibus esse posse, quod etiam in signo Scorpii non sit? Qui autem fieri possit, ut cum in Libræ lancibus Cometa fuerit non tamen in Libræ signo fuisse dicatur, vel ipsis Astronomiæ tyronibus perspectum est. Duodecim enim signa nihil aliud sunt,*

(1) *Vedi la Postilla N° XXII.*
(2) *Vedi la Postilla N° XXIII.*
(3) *Vedi la Postilla N° XXIV.*

Digitized by Google

nisi partes duodecim Zodiaci primi mobilis, ut cum priscis de orbibus Cœlorum loquar, in quas ab astronomis olim sectus est. Eæ tamen partes nomina ab iis Firmamenti sideribus sortitæ sunt, quæ tunc eisdem subjectæ videbantur. Quia igitur sub ea parte, v. g., in qua vernum contingit æquinoctium sidus jacebat Arietis, inde illi parti nomen factum est Arietis Signum: *ita quia alteri, in quam æquinoctium autumnale incidit, subjecta respondebat imago Libræ,* Libræ signum *ea dicta est. At postea, cum Firmamentum una cum suis sideribus in ortum, tardissime licet, excurrerit, hinc factum, ut partes illæ primi mobilis, sideribus illis prioribus in ortum subterlabentibus destitutæ, eorum tantum servarint nomina, singulis scilicet sideribus in ædes proximas dilapsis. Ita jam multæ harum imaginum, suis sedibus digressæ, alias habitant ædes, antecedentis sideris nomine nuncupatas. Horum una Libra est, quæ domum illam suam priorem, inscripto tamen præ foribus nomine,* Libræ Signum, *Virgini jam locavit, atque in Scorpii ædes migravit, quarum tamen etiam nunc in limine, litteris grandioribus incisum legitur domini nomen,* Signum Scorpii. *In signo igitur Scorpii Libræ sidus habitat; atque hac ratione quidquid in Libra est pariter in Scorpio est, nec venenatæ jacula caudæ pertimescit. Scorpius enim nocentissima sui parte hac domo extorris jam a multo tempore cum Sagittario præliatur* (1).

Sed quid ageret Simbellator? Venerat illi in mentem gratum se quamplurimis facturum, si præsentissimum adversus venenatos Scorpionum ictus remedium proferret in publicum, atque, ut merci suæ fidem faceret, in se ipso et bestiolæ vulnera admitteret, et vim medelæ potentissimæ experiretur. Sic enim ipse: Aptius igitur multo libellum suum Sarsius philosophicum atque astronomicum Scorpium appellasset, sic enim nomini facta melius convenirent; cum in eo nihil, præter venenatas punctiunculas et verba aculeata, reperias. Sed opportune mihi cautum est, qui præsentissimum adversus hujusmodi vulnera remedium novi. Hoc ergo animalculum contusum probe atque contritum vulneribus apprimam: ex quo fiet, ut suum cadaver illud venenum resorbeat, meque incolumitati restituat. *Huic igitur operi explendo, quam ego oc-*

(1) *Vedi la Postilla N.° XXV.*

Digitized by Google

casionem non feceram, ipse sibi, qua licuit qua non licuit, concinnavit. Sed nimirum, ut iis, qui prægrandes serpentes brachiis colloque implexos, suæ pretium merci facturi, popello ostendunt, familiare est, edentatos aut mites angues sæpe pro venenatis supponere; ita, pro noxio et vulnifico Scorpio, Galileus eam Zodiaci partem accepit, cui jam præter nomen nihil pene superest Scorpii. At Scorpius hic venenatus non est: quid igitur juvat tritissimum terendi apprimendique vulneri noxii animalculi remedium jactare? Apprimat, atterat, ut libet; se unum premet, non Scorpium, qui nullus est, neque proinde vulneri, si quod est, faciet medicinam. Sed quam vereor, ne (quod dici vulgo solet) pro Scorpio Galileus Cancrum acceperit! cui nisi caudam addidisset de suo, nunquam profecto is abiisset in Scorpium. Et sane non admirari non possum, e tam multis, quibus se in Libra mea tam male habitum queritur Galileus, ne unum quidem prolatum, quo meam usque adeo acerbam testaretur maledicentiam. Sed, ut arbitror, nimium delicatus videri noluit. Hæc igitur interim maneant: visum Cometam in Libræ lancibus, et, quod idem est, in signo Scorpii: nunquam in meis versibus usurpatum esse Libræ signum, ac proinde id falso mihi a Galileo adscriptum: nihil a veritate, neque a Magistri mei dictis alienum a me prolatum, cum in Libræ lancibus Cometa esse non poterit, quin simul esset in signo Scorpii: ex quo porro quod in Libræ lancibus natus sit, satis inde opportunam mihi occasionem oblatam, operi illi meo Libræ nominis inscribendi. Hinc præterea discant qui hæc legent, ecquis nostrum alterius dicta pervertat, quis confidentius falsa pro veris jactet, quis denique verius omnia suis usibus aptet: quæ mihi hoc ipso loco, ac toto opere, subinde objicit Galileus.

Quoniam vero opus ipsum tribus et quinquaginta examinibus distinxit, quibus totidem Libræ meæ partes expendit; levioribus jam cursim perstrictis, ad ipsa tandem veniamus examina: in quibus, cum Simbellator deberet nucleum statim quæstionis, si posset, infringere, maluit nugatoriis, jocosis et nihil ad rem facientibus quæstiunculis librum conspissare, ne mihi, quam maxime sector, brevitatem servare liceret. Statueram proinde ea omnia præterire quæ nihil ad Cometas spectarent; at quando aliis aliter visum, in unum ea colligam quæ primis examinibus continentur.

Digitized by Google

Negat P. Magistri mei disputationem a se (1) *(quod questus fueram) acrius impugnatam. Enimvero humanissimum dictum illud est, quo eum logicum imperitum appellat* (2)! *O vocem melleam!* At *(inquit)* Tychonem ea vox petiit, non P. Horatium. Nihil ergo est, cur hoc nomine Sarsius asserat viluisse mihi Romani Collegii dignitatem. *Sed hanc excusationem ne ipse quidem admittit; qui, eodem loco explicans quibus eam notam inustam vellet, eo vitio laborare asserit Tychonem et cometici Problematis auctorem, hoc est Patrem Horatium, quibuscum maxime negotium sibi esse profitetur.* Al poter con sicurezza chiamar tal moto per cerchio massimo, mancano gran punti da dimostrare, i quali tralasciati danno indizio d'imperfetto loico. Perchè, ancorchè sia vero ch' all' occhio posto nel centro della sfera i cerchj massimi e i moti fatti in essi appariscano linee rette, e i cerchj minori linee curve; non però è necessario il converso, come richiederebbe il bisogno di Ticone e dell' autor del Problema. *Neque miretur nihil se in illa disputatione invenisse, quo, ut ipse quidem existimat, offendi merito possemus: vulnera enim læsus sentit* (3), *non is qui infligit; ac sæpe vibratus gladius alte descendit in pectus, nec vulnus prodit auctori, cum acies acutior moras nullas vestium patitur, et ferit celerius, ipsumque ad tempus fallit quem perdidit.*

Neque tamen quod in Galileo reprehendimus Magistro meo tribuendum est, quod et ipse adversus Aristotelem disputarit: id enim usque adeo modeste præstitit, ut, sententia tantum illius improbata, ne Aristotelis quidem nomen unquam usurparit. Quamquam ego non is sum, qui severas adeo leges feram, nihil ut quisquam adversus summorum virorum placita sentiat, nihil ut dicat (4). *Scio illos multa præteriisse, quæ pone sequentium oculos facilius feriant; scio nos veritatem, non aliorum dicta studiis nostris sectari. Verum et illud scio, clarissimos illos pulcherrimarum opinionum conditores ita nobis natos esse, ita vitam ac studia nobis præparasse, ut ad res plane admirabiles e tenebris in lucem eruendas eorum*

(1) *Vedi la Postilla N° XXVI.*
(2) *Vedi la Postilla N° XXVII.*
(3) *Vedi la Postilla N° XXVIII.*
(4) *Vedi la Postilla N° XXIX.*

Digitized by Google

interim labore ducamur, idque a nobis promeritos, ut, nisi ingratissimi esse velimus, eosdem tamquam sapientiæ antistites revereamur. Si quid igitur illi non viderint, si quid etiam peccarint, aut excusandos, aut cum honore etiam corrigendos. Ac si mihi contingat, temporis potius quam ingenii beneficio, aliquid intelligere quod illos effugerit, non ita in me unum conversus vivam, neque me unum ita suspiciam, ut despiciam præ me universos; qui enim sibi unus placet, sibi etiam uni placeat necesse est. Contra vero, ingenii quantumvis magni modesta dissimulatione, plus honoris amorisque sibi quisque conciliat, quam si in eo summum decus positum existimet, ut viros virorum maximos ea de sede ac gradu deturbet, quem tot annos mundi pene totius suffragiis occuparunt; ac, veluti novus Hercules, illos, tanquam ingeniorum tyrannos ac sapientiæ monstra, conviciis domet ac jurgiis. Commiserationem enim ac stomachum movet vir honestus ludibrio habitus, neque potest hujusmodi commiseratio sine mixtura odii esse, dum uterque spectatur et qui patitur et qui infert injuriam.

Me mox arguit, quod non omnia cometici discursus dicta impugnaverim, sed perstrictis breviter levissimis quibusque potiora ne attigerim quidem. Putabam, vel hoc nomine gratias acturum. Ut se res habeat, effecit ipse ut hanc adversus illum accusationem afferre non possim, dum ne nomen quidem Libræ meæ ineæpensum reliquit. Ego vero ne Calvini quidem libros hac lege oppugnandos suscipiam, ut aut nulla, aut omnia ejus dicta refellam. Ecquis enim liber est, si Libram meam (Galilei judicio omnino pessimam) excipias, qui nihil boni verique contineat? Sed quid hic ais, Galilee? Ego ne is sum, qui in disputatione illa expendenda, levissimis quibusque tantum delibatis, a gravioribus abstinui? Hoc si verum est, non video qua ratione verum æque illud alterum esse possit, quod examine quinto de me meaque Libra asseris: poichè in questa Libra niuno de' miei pensieri viene approvato, nè ci si legge altro che contraddizioni, accuse, biasimi ec. (1). *Si ergo nullum dictorum tuorum, nulla cogitationum abiit a me non improbata, quid hic me tantum levissima quæque ac minutissima*

(1) *Vedi la Postilla N° XXX.*

Digitized by Google

delibasse quereris? Et tamen scis, arbitror, quem maxime memorem esse oporteat (1).

Abstinendum præterea mihi perpetuo dixeram ab iis verbis, quæ irati magis animi quam scientiæ indicia sunt. Ergo Sarsius commotus est animo *(inquit)* et subiratus: ab iis enim tantummodo abstinemus, ad quæ aut nostro propendemus ingenio, aut vehementi aliqua animi affectione impellimur.

At ego non latine minus dixerim, abstinere me ab igne manum, et ab amaris os, a quibus tamen etiam natura abhorreo: neque propterea mihi quisquam grammaticorum jure succenseat (2).

Cæterum, an inurbane se gesserit Sarsius cum disputationis Cometæ auctorem fecit Galileum, satis superque ostensum est supra.

Quoniam vero ad nostras de Cometis quæstiones explicandas primo loco statuendum erat, quænam aptior hypothesis et Mundi dispositio foret, dixeram, ei me adhæsisse quæ Tychoni arriserat magis, hoc est ei quæ Cœlos fluidos admitteret. Nam solidos inter et adamantinos orbes, quales plerique Ptolemæo fuisse Cœlos existimant, haud facile discurrere ac vagari Cometæ poterant. Copernicus, utpote damnatæ sententiæ, prætereundus silentio fuerat. Hic vero inepte Copernicum et Ptolemæum nominari asserit, quod ii nunquam de Cometis egerint: immo vero, Quin tu *(inquit Simbellator)* æque Bartolum aut Livium allegas in tua causa? *Quæris? illi nempe, quod e re nostra erat et quod unum quærebamus, cœlestium corporum texuerant ordinem; corporum vero civilium textu Bartolus occupabatur; hic Terris, illi Cœlo leges ponebant; astra illi sub signa, Livius castra vogebat; illi ætates ac tempora disponebant Orbis, hic Urbis. Vide sis attentius aliquanto, quorsum Copernici et Ptolemæi inciderit mentio; advertes fortasse non frustra, sed prorsus necessario nominatos fuisse: non enim de Cometis tunc agebam, sed de Mundi hypothesi, quam uterque assignarat, ut Libram legenti constabit.*

Ex Tychone vero, præter hypothesim, id unum desumpsimus, ut per parallaxis exiguitatem, et motum in circulo maximo apparentem, Cometæ distantiam metiremur: hac tamen ipsa demon-

(1) *Vedi la Postilla N° XXXI.*
(2) *Vedi la Postilla N° XXXII.*

Digitized by Google

strandi longe aliam inivimus viam. Erraverit ne idem Tycho in sua illa demonstratione, ut contendit Galileus, an non, haud vacat hic quærere: quærent fortasse alii. Mea nunc, non aliorum dicta, tueri consilium est.

Sed videamus quam belle quamque artificiose Galileus, quos in magistri mei Problemate prius non carpserat sales ac jocos, nunc demum, clam licet atque obiter, perstringat. Haud ita severi sumus *(inquit)* ut a jocis et poeticis suavitatibus abhorreamus. Quin potius in Patris Horatii Problemate delectarunt nos Cometæ cunabula, patria, funus et fax ipsa ad Mercurii Solisque cœnam cohonestandam accensa. Neque præterea ea nobis minus probata sunt, quod 20 post cœnam diebus fax illa succensa sit, quod sciremus, ubi Sol adsit, frustra faces accendi, quod idem non cœnet unquam, sed prandeat semper, hoc est interdiu, non autem noctu, cibum sumat. Hæc omnia libenter audivimus, neque per jocum dicta serio expendenda putavimus.

Acute. At mihi non indiscussa abibunt. Viginti post Solis ac Mercurii congressum diebus, *inquis*, fax illa succensa est. *Erras: in ipso congressu succensam puta: quæris cur ea non compareret? eadem qua Mercurius latebat umbra, hoc est in clarissima Solis luce, nec ante visa nobis est, quam a Sole remotior oriretur heliace. Sic auctor ipse cometici discursus:* E sia O il luogo della sua prima apparizione, non si essendo veduta innanzi per esser troppo sotto i raggi del Sole. At ubi Sol est *(inquis)* frustra faces accendimus. *Ita plane, si ideo adhibeantur, ut quasi in tenebris laboranti præluceant. At numquid ignoras, principibus viris ac regibus id moris esse, ut non nisi accensis facibus potent, prandeant licet in meridie? Regi igitur siderum non ad lucem, sed ad honestamentum qualecumque facem hanc succensam scito.*

Quid, quod non cœnare, sed prandere Soli mos est? is enim noctem nescit, quæ sola cœnæ destinatur (1). *Ut video, erit tibi, Galilee, negotium cum Sosia, cui una cum Mercurio os pugnis occilles, quod Solem appotum probe invitasse in cœna sese plusculum dixit. Age sis, omitte ista sequi, quæ mathematicis characteribus, quos tu apprime calles, mundano hoc in volumine exarata non sunt. Ex historicis aut poetis hæc petuntur, quibus ipse haud multum*

(1) *Vedi la Postilla N° XXXIII.*

Digitized by Google

fidis. Vis nosse, qua hora cœnare mos esset antiquis? tenax autem propositi Sol est, et moris antiqui servator perpetuus. Adi Martialem horas diurnas percurrentem versibus, et quibusque sua tribuentem negotia :

Sufficit in nonam nitidis octava palæstris :
Imperat extructos frangere nona toros.
Hora libellorum decima est, Eupheme, meorum,
Temperat ambrosias cum tua cura dapes.

Vides igitur accumbendi horam nonam fuisse. In decimam usque horam cœnabatur; ergo interdiu : hæ siquidem horæ, si ex inæqualibus, quibus antiqui utebantur, ad nostras revocentur, æstivo quidem tempore vigesimæ ac vigesimæ primæ congruent, hieme vero vigesimæ secundæ ac tertiæ.

Non est ergo nox sola cœnæ destinata, potuitque Sol cœnare, quamvis noctem nesciat. Absolve Sosiam.

EXAMEN VIII.

Ab hoc examine, in quo Galileus, cum proposito diu multumque aberrasset, in viam redire visus est, responsionem quoque meam ad certum redigam ordinem. Quæritur in hoc, an P. Horatio, Cometæ distantiam ex parallaxi indaganti, eximendus prius esset Cometa ex apparentium et inanium simulacrorum numero, quod Galileus contendebat; cum enim hujusmodi simulacra parallaxis legibus non sint obnoxia, nisi prius statueretur Cometam inane lucis figmentum non esse, frustra ejus distantia per parallaxis observationes investigari videbatur. Respondi, magistrum meum adversus Aristotelem disputasse, apud quem nullam Cometa vani spectri suspicionem incurrerat, sed flamma habebatur verissima; nihil proinde fuisse, cur legem hanc ipse nobis imponeret.

Hic vero Galileus Nulla *(inquit)* Sarsii argumentis vis inest. Neque enim, quasi Patrem Horatium alloquentes, statuimus eximendum prius Cometam ex inanium simulacrorum numero, ut in eo metiendo vim suam parallaxis exerceat: inepte siquidem illi adversus Aristotelem disputanti id oneris impositum a nobis fuisset; sed generatim, ac toti Mundo eam posuimus legem.

Digitized by Google

Sed nimirum haud difficile sit indagare, quibuscum ii loquerentur, toti ne Mundo atque universim, an vero singulatim Patri Horatio leges illas positas vellent. Illam ergo ipsam de Cometis disputationem adeamus, in qua, cum prius auctor multorum enumerasset sententias, hæc addit: Tra queste esaminerò principalmente i maggior fondamenti di Ticon Brahe, come di quello che censurando li scritti di tutti n' ha trattato più diffusamente, e con maggior confidenza degli altri. Appresso verrò al professore di Matematica del Collegio Romano, il quale in una sua scrittura ultimamente pubblicata pare che sottoscriva ad ogni detto d' esso Ticone, aggiungendovi anche qualche' nuova ragione a confermazion dello stesso parere. Dico dunque, con questi autori principalmente parlando *(vides, arbitror, quosnam hic alloquatur)*, che lo inferire la molta o poca distanza degli oggetti dalla piccolezza o grandezza della parallasse ec. *Ex his constat, hæc quæ de parallaxis argumento subtexuntur Tychoni et magistro meo objici. Magistrum vero meum in eo Problemate adversus Aristotelem maxime disputasse, si mihi, si disputationi ipsi non creditur, Galileo saltem id asserenti credatur.* Aggrava il Sarsi non poco la riputazion del P. Grassi suo precettore, principale scopo del quale nel suo problema fu d' impugnare l' opinione d'Aristotile intorno alle Comete. *Quibus ita explicatis, hæc facile constant: Aristoteli Cometam realissimam rem esse, ac proinde ei, qui adversus Aristotelem agat, non esse Cometam ex inanium simulacrorum numero eximendum; Patrem Horatium adversus Aristotelem toto illo Problemate disputasse; ei ergo non fuisse eximendum Cometam e numero inanium et apparentium simulacrorum; hanc vero nihilominus legem eidem, in illa de Cometis disputatione, ab auctore impositam fuisse, quod tam diserte negat Galileus.*

EXAMEN IX.

Si Sarsii magister *(inquit Galileus)* eos tantum insectatur, apud quos nullam Cometes vani spectri incurrit suspicionem, debuerat nos quoque Sarsius præterire, qui in eorum numero non sumus.

Digitized by Google

Multo sane melius. Si Galileus, aut alius quispiam, universim eos impugnat, qui ex parallaxis quantitate absolute distantiam Cometæ metiuntur, non debuerat disputationem suam ad duos tantum, Tychonem et Patrem Horatium, dirigere; qui, cum non universim et absolute, sed adversus Aristotelem disputent, ejusdem Galilei jaculis expositi non sunt. Et ii tamen mihi abiissent intacti, nisi provocassent. Quid enim, si nobis alio itinere pergentibus atque ab iis declinantibus, ultro ac studiose nostros ipsi sese indiderunt in pedes? Cæterum, quid me hac in re deceret, cautum et provisum est abunde.

Dixeram, Cardanum ac Telesium, quibus Cometa inane spectrum fuerat, sterilem atque infelicem philosophiam nactos, libros posteris non liberos reliquisse. Quid hic Galileus?

At quæ pietas *(inquit)* Sarsi, Cardani ac Telesii splendori tenebras offundere, ut vel nævum magistri tui alieno malo contegas? Hos tu nullius ponderis philosophos, infirmos ac debiles, hos tu parum philosophiæ peritos vocas? *At quæ porro pietas est, Galilee, eorum partes suscipere (dicam multo quam antea liberius) quorum multis partibus, ut parum catholicis rebus amica, philosophia æterna potius oblivione sepelienda jam fuerat* (1)? *En, ut illos ingenii illa libertas toties decantata, commendata toties, sine lege excurrentes ac vagos tandem devolvit in præceps!* Hæ sunt doctrinæ hominum et dæmoniorum *(ut cum Tertulliano loquar)* prurientibus auribus natæ, de ingenio sapientiæ sæculi, quam Dominus stultitiam vocans stulta mundi in confusionem etiam philosophiæ ipsius elegit: ea est enim materia sapientiæ sæcularis temeraria interpres divinæ naturæ et dispositionis. *Cardanum igitur ac Telesium laudent qui volent, ego laudationum religiosius argumentum exposco. Nihilo tamen in hac ipsa, quam mihi objicit, urbanissima inurbanitate non semel Galileus errat: primum, cum ea mihi adscribat quæ nusquam in mea Libra reperias: deinde, cum latini vim sermonis aut non plane intelligat, quod affirmare non ausim, aut potius dissimulet. En, digito saltem locum monstret, in quo infirmam et imbecillam eorum dixerim philosophiam, aut (quod est alterum) parum philosophiæ peritos eosdem*

(1) *Vedi la Postilla N° XXXIV.*

Digitized by Google

pronunciarim: nihil profecto inveniet a me prolatum, præter illud unum, sterilem illos atque infelicem philosophiam nactos; nisi forte Galileo infelix idem sit, quod infirmum atque imbecillum, ac plane nullius scientiæ, quod tamen latinis idem quod infecundum sonat: at hoc non est aliorum vertere dicta, sed plane evertere atque pervertere.

Præterea, dum horum infelicitatem excusans ait: Sapere omnino paucorum esse, et quanto quisque ingeniosius ac penitius in arcana naturæ admittitur, eaque melius internoscit, tanto minorem asseclarum gregem eum ducturum: *videat ne forte sibi male ominetur: atque interim pergat.*

Asseris, Sarsi, non latuisse magistrum tuum eos, qui Cometam inane spectrum affirmarent; sed ab illo studiose prætermissam opinionem illam, ut nullius ponderis ac plane vanissimam. At si verba P. Horatii pensentur, aperte constabit, nunquam eos illi in mentem venisse; qui si ejus animo aliquando occurrissent, Irides, Halones, atque id genus alia, parallaxis lege, cui non subjacent, exemisset: non exemit tamen: sic enim ille in suo Problemate: *Statuo, rem quamcumque inter Firmamentum ac Terram constitutam, si diversis e locis spectetur, diversis etiam Firmamenti partibus responsuram.* Ubi, si Irides et Halones objecero, hujus omnino legis ignaros, dictum illud suum ad vera et realia tantum objecta restringendum asseret; quod antea non præstiterat. Sero igitur sapiunt Phryges.

Ego vero hinc potius evinci putabam, magistro meo Halones atque Irides ita venisse in mentem, ut propterea signatis verbis in sua hac positione illa excluserit ex eorum numero, quæ parallaxis legibus subjacerent. Cum enim, ex ipso Galileo, ea omnia simulacra oculorum ludibria sint; colores illi ficti, non veri; uno verbo, nihil: qui dixit, statuo rem quamcumque, *ea omnia exclusit quibus, cum nihil sint, rei nomen convenire non potest* (1). *Secundo, tacito Galilei ipsius suffragio, Iris atque Iridis similia, quidquid sunt, aut quid verius non sunt, in ipso oculo sunt. Qui ergo dixit,* rem quamcumque inter Firmamentum ac Terram, *sive, quod idem est,* inter Firmamentum atque oculum constitu-

(1) *Vedi la Postilla N° XXXV.*

Digitized by Google

tam: *ex hoc etiam loquendi modo vana isthæc simulacra, ex ipsius saltem sententia, exclusa voluit, quæ non inter Firmamentum atque oculum, sed in ipso sunt oculo.*

Miratur deinde Galileus, quod inter Cometæ caput et barbam discrimen inesse putaverim. At ego mirer potius, si cui idem sit caput quod barba. Dixeram autem, priscis illis, si de Cometæ capite loquamur, nunquam id pro inani simulacro habitum. Existimat ergo Sarsius *(inquit)* comam saltem illius vanam fuisse imaginem. *Nego consequentiam. Caput Cometæ ab hac vanitatis calumnia vindicare mihi curæ fuit: an postea longioribus comis aliqua insit vanitas, viderint qui eas plus æquo promittunt. Otiosa igitur est ea tota de realitate tractatio: ego certe id realis nomine intelligi volo, quod voluit ipse, hoc est rem plane non fictam, sed veram, unam, certoque loco consistentem.*

Falsum autem omnino existimo, quemquam e priscis illis existimasse Cometæ caput inane lucis ludibrium. Quem enim id sensisse putes? non Anaxagoram aut Democritum, quibus Cometa stellarum congeries fuit; non Pythagoram, qui eumdem planetam aliquem brevi tempore comparentem ac latitantem diutius esse voluit; non Hippocratem aut Æschylum, qui planetam, natura calvum, ubi ab humoribus fictam sibi comam optasset, in Cometam abire, mox eumdem, decidente coma, in planetam redire solitum affirmarunt. Nullus igitur e numero illo extitit, qui clarissimo lumini vani capitis notam inureret. Quod vero, recedente coma, abire pariter Cometam dixerunt, nihil mirum: cum enim Cometa tum ex vero planeta, tum ex ficta coma constare diceretur, horum altero abscedente, Cometam perire necesse fuit: sic etiam comatus esse desinet, cui coma deciderit. Licuit igitur magistro meo, adversus Aristotelem disputanti, Cometæ distantiam ex parallaxi investigare, quamvis prius ex apparentium imaginum numero illum non exemisset: eximit tamen, ut ex ipsa ejus loquendi forma constat, quod supra ostendimus.

Examen X.

Argumentum alterum, quo P. Horatius Cometam flammam non esse adversus Aristotelem contenderat, ex ipso Cometæ motu

Digitized by Google

desumptum fuerat, qui in circulo maximo fuisse inferebatur ex eo, quod loca observationum omnia lineam describerent rectam. Hic vero, Erras, *inquit Galileus:* ex motu in linea recta apparente id unum evincitur, motum scilicet illum in plano fuisse circuli maximi, in quo motus omnes, quicumque illi tandem fuerint, nobis recti videbuntur. Quid enim? si Cometæ motus revera rectus fuisset, an non loca observationum omnia lineam quoque rectam constituissent? Falleris ergo, Sarsi, si hinc infers, Cometam motu suo partem circumferentiæ maximæ descripsisse.

Ut huic examini satis fiat, ponenda prius quædam sunt, quibus longe facilior objectorum a Galileo evadet solutio.

Primum est, Tychonem et magistrum meum, cum dixerunt Cometam descripsisse partem circuli maximi, non de vero motu locutos sed de apparenti solum; neque voluisse, lineam Cometæ motu in Cælo descriptam revera arcum fuisse circumferentiæ maximæ, sed tantum, lineam illam, quam probabile esset curvam fuisse (cujuscumque tandem curvitatis ea fuerit), semper intra fines atque in superficie circuli maximi sese continuisse; neque enim plus aliquid Cometis tribuere voluerunt, quam planetis aut Soli ipsi. Quin ipse Tycho id unum semper agit hoc argumento, ut similitudinem ostendat motus cometici et motus planetarum: planetæ autem suis motibus non describunt circumferentias revera maximas, sed aut circulares quidem, sed eccentricas, aut ne circulares quidem, sed ellipticas: v. g. Sol ipse motum describit Mundo eccentricum; non ergo circumferentiam maximam, quæ, vel Galilei suffragio, Terræ ac toti Mundo concentrica esse debet.

Hinc infertur, otiose id conari quarto loco Galileum ut ostendat, non necessario ex motu in linea recta apparente inferri a nobis eo descriptam fuisse circumferentiam maximam; cum nostrum nemo id asserat: loquimur enim de motu sub circulo maximo apparente, qui ex linea recta recte deducitur. Ego ipse Cometæ aut ovalem, aut alterius curvitatis motum adscripsi: non ergo id agebam, ut circulum vere maximum ab eo descriptum inferrem.

Alterum est, id præcipue ex hoc motu in circulo maximo apparente inferre auctores hosce voluisse, Cometam silicet non

Digitized by Google

temere neque inordinate vagatum, sed via quasi regia constantissime progressum: quod illis adversus Aristotelem disputantibus satis firmum esse poterat argumentum, quo ostenderent Cometam flammam non fuisse, cum flammarum ea sola in motu lex sit, sine lege eo ferri quo pabuli illecebra invitat.

Quare, cum magistro meo lis esset adversus Aristotelem, esset ne Cometa accensa in aere flamma, an aliud quidpiam; ut constaret flammam non esse, satis erat ostendere sub circulo eam maximo semper sese continuisse, quod projectæ apud pabulum flammæ constanter adeo convenire non poterat. Non igitur Aristoteli motum sub circulo maximo objecimus (quod est primum objectorum caput), quasi sub circulis minoribus eumdem ipsi Cometæ motum statuisset; sed ut perpetuam ejusdem motus constantiam ostenderemus.

Kepleri autem opinio, qui Cometæ trajectionem per lineam rectam produxerat, quod est objectorum alterum, nobis attingenda nullo modo fuit; cum vel uno eo nomine apud nos satis jam profligata censeretur, quod Terræ motum, instabile nimium fundamentum, haberet: pleniorem autem validioremque hujus sententiæ impugnationem ex philosophis non quæsivi, cum Sacrarum mihi Litterarum auctoritas satis efficax videretur.

De motu autem recto, atque ad Terram perpendiculari, quid erat dicendum? Ii tantum motus fuerant exprimendi, quibus Cometæ phænomena explicarentur. At Galileus ipse fatetur aperte, motu illo salvari nulla ratione posse Cometæ motum ultra verticem productum: satis igitur illum ipse, vel me tacente, discusserat.

Sunt autem nonnulla mihi ex Galilei loquendi formulis expendenda. Quærit primo, quinam dicantur circuli in sphæra maximi, quique minores; aitque, eos dici maximos qui idem cum sphæra centrum habent, eamque partiuntur bifariam (1) *(addo ipse); eos vero dici minores qui in sphæræ superficie descripti nec idem cum sphæra centrum habent, atque illam in partes dividunt inæquales: hæc enim divisio sphæræ in partes sive æquales sive inæquales fieri non potest, nisi ii circuli in superficie ejusdem sphæræ descripti sint. His positis,* Ergo, *inquit,* epicycli Veneris et Mercurii circuli maximi non sunt, sed minores. *Nego conse-*

(1) *Vedi la Postilla N° XXXVI.*

Digitized by Google

quentiam: ii enim in superficie sphæræ descripti non sunt. Sane non minus apte inferre Galileus poterat: ergo curruum rotæ circuli maximi non sunt (1). *Si ergo epicycli Veneris et Mercurii ad sphæram Mundi referantur, neque maximi sunt neque minores, cum in ejus superficie descripti non sint: si vero iidem epicycli suas sphærulas spectent, circuli maximi sunt: minus igitur apta est ea illatio. Circulus autem quilibet, quantumvis mole minimus, si tamen ad sphæram eadem diametro descriptam referatur, maximus erit. Ita Zodiacus, Æquator, Horizon, Coluri in sphæris ligneis aut æreis, quibus pro exemplis utimur, circuli maximi dicuntur, qui tamen longe minores sunt quam veri epicycli Veneris et Mercurii. Nihil ergo impedit circulorum exiguitas, ne iidem maximi dicantur; sed habenda est ratio sphærarum, in quarum superficie descripti ii sunt.*

Præterea, Statuamus ergo, *inquit*, ex dictis, ex motu in linea recta apparente non magis inferri posse motum per circumferentiam maximam ductum, quam per circumferentiam minorem. *Sed hoc quoque falsissimum est* (2). *Si quis enim ex motu in linea recta apparente inferat illum per circumferentiam maximam descriptum, inferet aliquid quod revera esse potest, quamvis non necessario, contingenter saltem: at qui inferat motum illum fuisse per circulum minorem, falsum asseret semper, cum impossibile omnino sit, motum per circulum minorem ductum ei qui sit in centro sphæræ videri rectum.*

Ac proinde aptius aliquando locutus is videatur, in casu nostri Cometæ, qui ex motu in linea recta apparente intulit eo descriptam circumferentiam maximam, quam is qui inde motum per lineam rectam et perpendicularem productum invexit: illius siquidem dictum contingenter saltem verum esse potuit, hujus vero ne contingenter quidem, vel ipsius Galilei confessione, Cometæ motibus potest accomodari.

Nihil igitur est quod ægre feram, docte scilicet usque adeo atque erudite, reconditum illud Geometriæ secretum utilitate omnium a Galileo evulgari, Non inferri, *scilicet*, necessario, Solem,

(1) *Vedi la Postilla N° XXXVII.*
(2) *Vedi la Postilla N° XXXVIII.*

Digitized by Google

Cometæ caput et caudam ipsius per eamdem lineam rectam duci, ex eo quod in una eademque recta linea nobis posita videantur. Posito enim (Tab. III, Fig. V) arcu circuli maximi ABC et Sole in A, capite Cometæ in B et cauda desinente in C, oculo nihilominus posito in D: tria illa, Sol A, caput B et extremitas caudæ C in eadem linea recta CA comparebunt (1). *Neque video quæ inde mihi doloris causa possit existere, cum nulli dictorum meorum id adversetur: immo vero, si Galileus magistri mei verba paulo diligentius expenderit, intelliget fortasse, venisse illi in mentem quod hic quasi quid novum et inauditum profertur, potuisse nimirum Cometæ caput et caudæ extremitatem una cum Sole in eadem recta linea spectari, quamvis revera triangulum constituerent. Ait enim ipse:* Quæ omnia satis ostendunt, Cometæ corpus Solis plane, non suo, fulsisse lumine, in quo solares radii aut refracti aut repercussi ulterius procederent et caudam formarent. *Quî autem fieri potest, ut repercussi ulterius radii producantur, nisi reflexionis locus B, hoc est Cometæ caput, Sol A luminis fons, et reflexi radii extremitas C triangulum constituant? Si quid igitur ægre ferendum, id unum scilicet est, quasi e tripode et cortina proferri quæ jam ab aliis prolata et vulgata, minori quamvis fastu ac verborum ambitu, fuerant.*

Quinto miratur, cur, cum dixissem constare jam satis motum illum rectum et perpendicularem Cometis non esse tribuendum, tanto nihilominus studio eumdem postea impugnare decreverim. Sed miretur hic etiam, quod, cum Fidei nostræ capita certissima sint et credibilia plane nimis jam facta, eorumdem tamen veritas adversus ejusdem Fidei hostes quotidie variis rationibus comprobetur.

Postremo neque illud verum est, lectoribus me fucum facere voluisse. Parmi che il Sarsi, sentendosi di non poter far altro, cerchi di avviluppare il lettore. Ma io cercherò di disfare i viluppi. *Nempe iis ipsis scribebam, quibus Galileus ipse; qui porro ii non sunt, quibus adeo facile imponatur. Norit hos quoque lynceos fuisse et perspicaces, nec opis alienæ indigos ad tricas, si quas in meis scriptis offendissent, evadendas: suam proinde operam iis hac ipsa in re dum offert, nimiæ credulitatis eosdem,*

(1) *Vedi la Postilla N° XXXIX.*

Digitized by Google

clam licet, accusat, et se unum supra lynceos omnes Epidaurium profitetur.

EXAMEN XI.

Quoniam P. Horatius Cometæ epicyclum circa Solem adscripserat, sed eccentricum, id unum toto hoc examine molitur Galileus, ut ostendat non posse circa Solem circulum eccentricum aut ellipsim describi, quibus Cometæ digressio quadranti par salvari possit. Sic enim is Virginium Cæsarinum alloquitur: Tu vero, Vir ill., si forte in Sarsium incideris aliquando, duas hasce (Tab. III, Fig. VI) lineas eidem offeres, quarum altera CD alteri AB perpendiculariter insistat. Sitque DC radius ab oculo in Solem eductus: radius enim, quo postea Cometa a Sole per integrum quadrantem digressus conspicitur, necessario futurus est DA, vel certe DB. Rogabis mox illum, ut, nostro scilicet documento, eccentricum illum suum epicyclum aut ellipsim describat circa Solem C, per quæ progressus Cometa, atque integro quadrante digressus a C, per radios DA seu DB conspiciatur. Ego enim præstare hoc tantum (fateor) haud scio. *Hæc ipse. Conabor igitur, quantum in me erit, ea omnia præstare quæ mihi a Galileo imperantur; neque huic ego operi Geometriæ medullam exsudarim, quod circinus ipse sua tantum arte perfecerit* (1). *Meminerit tamen Cælo in liquido, ut Planetas, ita Cometas vagari. Sit ergo punctum D Tellus, circulus E lunaris orbis, solaris vero K, C, B; circa Solem autem C sit orbis Mercurii G, Veneris I: quos omnes iis plane magnitudinum proportionibus descriptos volui, quas orbes illi veri ex Astronomorum placitis inter se servant. Sitque MNK pars circuli cometici Soli eccentrici, v. g. centro F descripti. Contigerit ortus Cometæ in N, et in radio DC ad Solem pertingente; progressus autem sit ad A, ubi spectabitur radio DK, sive DA. At lineæ DC, DK intercipiunt quadrantem integrum KC; solo igitur motu NA potuit Cometa a Sole digredi integro quadrante, et supra Lunam nihilominus perpetuo vagari: neque metuendum fuit, ne Terram aliquando aut exureret cominus, aut putifero halitu inficeret. Jam vero si arcus alter KLM priori similis eique obversus descri-*

(1) *Vedi la Postilla N° XL.*

Digitized by Google

batur, absolvetur quasi ellipsis MNKL, quæ idem efficiet quod circulus. Sic fieri possunt, fieri quæ posse negabas.

Erravi. Galileus vidit postea, et confessus est ingenue, eccentricum hujusmodi describi posse, sed instar monstri futurum asseruit; quasi vero nihil boni monstris inesse possit. At ipse, nisi ingratus esse velit, æquior aliquanto huic nomini sit oportet. Cometa ipse monstrum est, et rarissimum mundi spectaculum: nihil igitur mirum, si quis ei motus tribuatur, præter eos quos stabiles ac perpetuos æternis illis inesse sideribus intuemur. Ignorat enim Naturæ potentiam, ut ait Seneca, qui illi non putat aliquando licere nisi quod sæpius facit.

EXAMEN XII.

Dixeram, in Logicam peccasse Galileum, cum ex eo, quod stellulæ nonnullæ quæ aciem nostram fugiunt adhibito postmodum telescopio conspiciantur, intulit, eas ex eodem telescopio infinitum accipere incrementum: peccasse, inquam, cum neque infinitum, ac neque incrementum quidem accepisse dici possint; quamvis enim inter rem visam et non visam distantia quodammodo intercedat infinita in ratione visibilis, non intercedit tamen in ratione quanti, quam requirere videtur ipsa ratio incrementi quod ex telescopio habetur. Deinde vero quidquid primo esse incipit, augeri non dicitur; ergo, cum quid primo visibile fit cum prius visibile non esset, non dicetur augeri, ne in ratione quidem rei visibilis, cum augeri in aliquo genere ea solum dicantur, quæ prius in eodem genere aliquid erant. Atqui tu *(inquit Galileus)* Salomonem quoque arguas, qui stultorum infinitum esse numerum dixit. Sat (credo) vides, nisi dissimulas, idem nobis hoc loco esse infinitum quod maximum. Præterea, si quis nullius sortis homo aureos mille lucretur, annon lucrum hoc, si cum nulla sorte conferatur, infinitum dicetur?

Ajo sane, millenorum compendium ex nulla sorte posse aliqua ratione dici infinitum, cum inter se conferantur termini ex una saltem parte infinite distantes, hoc est nihil atque aliquid, sive sors nulla et compendium millenorum. At vero impossibile omnino est idem in incremento contingere; quia nihil incrementi

Digitized by Google

capax est, nisi ante ipsum incrementum aliquid sit: ac proinde inter id quod augetur et augumentum ipsum non potest eadem esse distantia, quæ inter nihil atque aliquid.

Non fuisse autem vobis hoc loco infinitum idem quod maximum, vos ipsi satis ostendistis ex eo, quod hoc infiniti nomine eam distantiam significari voluistis quæ est inter nihil atque aliquid, hoc est vere infinitam. Non so perchè tale ingrandimento si debba poi chiamare insensibile, e non piuttosto infinito, chè tale è la proporzion del niente a qualche cosa (1). *Si ergo eadem per vos proportio est inter stellas non visas et visas, quæ inter nihil atque aliquid, erit plane nulla; ac propterea distantia infinita. Non ergo vobis hoc loco fuit infinitum idem quod maximum. Salomon, aliique permulti, cum per hyperbolem infiniti nomen usurparunt, vim vocis illius non probarunt rationibus vere infinitum evincentibus, quod is fecisse deprehenditur, qui incrementum illud eodem modo se habere dixit quo nihil atque aliquid.* Sed ita sit *(inquis):* cum quid videtur cum prius non videretur, non vocetur hoc augumentum, sed transitus de non esse ad esse. Ergo cum nos, telescopii beneficio, scriptum aliquod longe positum legimus, cujus non nisi majusculos characteres nudis oculis videremus; si ex logicorum lege loquendum sit, augeri tantum dicentur majusculi, minusculi vero transire de non esse ad esse.

Quid, malum, adeo parcus verborum es? adde quæ studiose subtices et collimasti, hoc est: cum quid videtur cum prius non videretur, non vocetur hoc augumentum, sed transitus de non esse visibili ad esse visibile. *Sic enim postea inferes:* augeri in esse visibili dicentur majusculi, minusculi vero transire de non esse visibili ad esse visibile: *quod verissimum est.*

At si augeri recte non dicitur *(inquit)* nisi quod prius aliquid est, haud credo rectius vox transitus usurpabitur, quæ et ipsa geminum terminum, a quo scilicet et ad quem, reposcit.

Ajo, usitatissimam esse loquendi formam, qua dicimur omnes a Deo ex nihilo educti, cum tamen eductio hæc nullum habeat terminum a quo positivum. Quin hæc ipsissima verba transitus de non esse ad esse *familiarissima philosophis sunt; nunquam tamen quemquam illorum audias augeri ea dicentem, quæ primo*

(1) *Vedi la Postilla N° XLI.*

Digitized by Google

esse incipiunt. Si ergo aliquid primo per telescopium videtur quod nulla prius ratione cernebatur, non poterit dici auctum in ratione visibili, dici autem poterit transisse de non esse visibili ad esse visibile.

Sed quid *(inquis)* si stellarum etiam minutissimarum species aliquid esse existimem, quamvis non videantur? easque tunc etiam ad nostros oculos pertingere, non tamen videri, quod sub exiguo admodum angulo ad illos perveniant?

Profecto, si id existimes, et mecum et cum sapientibus omnibus senties. An forte et hoc quasi novum nobisque inauditum profers? quasi ego, qui telescopiorum vitris stellarum minutissimarum species ac radios excipi atque ad oculum cogi, et proinde clariores effici, toties adhuc disertissime dixi, dubitare aliquando potuerim, an eædem species ad telescopii vitra atque ad oculos ipsos pertingant. Quid igitur necesse fuit Nebulosas et Galaxiam, quasi hujus veritatis testes, adducere, de qua nemo non stolidissimus ambiget? Sane vel lusciosi hoc vident, quorum oculos, attingant licet rerum species ac plene imbuant, non tamen ab iis videntur, nisi specillis admotis, quorum beneficio satis intelligunt, non procreari in oculo rerum species, sed apte tantum disponi. Nihil enim specillorum ope quisquam cerneret, cujus antea imago ad oculum non pertingeret.

At *(inquis)* si siderum horum species, antequam videantur, etiam in oculo aliquid sunt, poterunt, cum per telescopium videntur, dici incrementum recepisse, quando id unum obstabat ne dicerentur augeri, quia antea nihil esse videbantur.

Ergo, mi Galilee, paucissimis in verbis pugnantia dicis. Si enim tam visa quam non visa sidera aliquid sunt in ratione visibilis, non ergo (quod modo volebas) inter eadem visa et non visa illa intercedit distantia, quæ inter nihil atque aliquid. Nisi igitur pugnare tecum velis, dices, tam stellas quam stellarum species, quamdiu visibiles non sunt, nihil plane esse in ratione visibilis; ac proinde, cum per telescopium conspiciuntur, easdem transire de non esse visibili ad esse visibile. Nam alioqui, ut multum huic rei allabores, nunquam tamen efficies, ut quod in aliquo genere primo esse incipit in eo dicatur augeri.

Sed quid ego in hisce Logicorum salebris diutius lectorem

Digitized by Google

teneo? Nemo est qui ignoret, nullum usque adeo cogens argumentum adversus quemquam afferri posse, quod versutæ dialecticorum lubricitati apparens saltem non relinquat effugium; ac proinde nullum inutilis altercationis finem futurum, si pergere velimus, et per contentiosum funem in sæcula (nam in lustra jam duximus) disputationem alternis vicibus protrahamus: permittam igitur volens libensque, si qua supersunt e logicis, lectori discutienda; aut ea tantum parte libabo, qua Logicam transiliunt.

Falsum autem est quod hoc loco Galileus objicit, nimirum, ex magistri mei dictis nullum stellas incrementum a telescopio accipere: nihil illi tale unquam excidit. Ejus tantum illa vox fuit: non esse hujusmodi siderum incrementum admodum sensibile: a qua loquendi forma non discrepat sidereus Nuncius, cum ait: Si reliqua objecta eo instrumento centies augeri videntur, eodem stellas non nisi quater aut quinquies auctas apparere; *quod augmentum sensibile admodum non est. Non ergo falsum evincitur magistri mei dictum.*

Dixeram, in Galilei scilicet gratiam, geminam telescopio prærogativam esse tribuendam: tum quod species et radios ad unum punctum cogit, ut efficacius agant; tum etiam quod species et radios eosdem sub majori angulo ad visivam potentiam defert, ex quo fit, ut objecta majora compareant.

Hic enimvero miratur Galileus, qui fieri possit ut cogantur radii, ut major nihilominus ex iis angulus constituatur: videntur enim illi pugnantia duo hæc, cogi radios, atque ex his angulum constitui (1).

Ego vero mirarer potius, si quis non coactis radiis angulum constitui (2) *posse affirmaret. Sed nimirum is idem esse existimavit, ad unum punctum cogi radios, et radios eosdem, quasi virgas, in fasciculos colligari ac se totis simul uniri; ut in ipsa versione Galilei indicat forma illa loquendi,* ristringere insieme i raggi (3). *Quam ergo fideliter dictum latinum in etruscum verterit, Grammaticorum esto judicium. Norit interim, cogi radios ad unum punctum idem Opticis esse atque radiorum, ex reper-*

(1) *Vedi la Postilla N° XLII.*
(2) *Vedi la Postilla N° XLIII.*
(3) *Vedi la Postilla N° XLIV.*

Digitized by Google

cussu aut refractione convergentium, extrema ad unum punctum concurrere, ac proinde angulum constituere.

Sed nunc demum video quid maxime hoc egerit examine, homo facetiarum et urbanitatum omnium; ut nimirum ridiculis argutiolis et jocosis dicteriis, in me false vibratis, Illustrissimum Virginium Cæsarinum, virum Gratiis et scilicet bonis omnibus carum, longa jam molesta ægritudine fatigatum, atque ad mœstitudinem jam proclivem, exhilararet. Cum enim, id unum agens, non inepte tantisper in me jocatus esset, ut tandem operæ constaret fructus, hæc subdidit. Mi par di vedere VS. Illustrissima sogghignare. Ma che vuol Ella! il Sarsi era entrato in umore di scrivere in contraddizione alla scrittura del sig. M.; gli è stato forza attaccarsi, come noi sogliamo dire, alle funi del cielo. *Et lusisset utinam! liberalius, vel malo meo. Non eram ego usque adeo insulsus atque inficetus, ut semper auditor tantum nunquam reponerem, ac de eo pariter ægrum Dominum hilararem. Sed qui ejus subrisit ad sales, mœstissima sui commemoratione nunc mihi lacrymas exprimit, jubetque hoc saltem loco facetiis parcere, et importunis interim jocis abstinere. Detur igitur et hoc illi. Sed pergamus.*

Postremo beneficium jocose a me collatum serio rejicit. Cum enim cometici discursus auctor, ostensurus stellulas illas quæ telescopii tantum ope cernuntur maximum ex illo capere incrementum, illud addidisset: perchè, se non l'ingrandisce, è forza che con altra sua più ammirabile prerogativa le illumini: *dixeram, magnam me forte apud illum gratiam initurum, si, quam ipse telescopio prærogativam tribui posse diffideret, siderum videlicet illuminationem, eam merito illi tribuendam ostenderem. Hoc tamen quam serio a me diceretur, satis inde colligi poterat, quod illuminationem telescopii effectum non esse multis ante contenderam: sed quando beneficium hoc qualecumque projecisse me video (gratiæ enim, si quæ mihi a Galileo actæ sunt, bonum tantum animum meum compensant), id saltem expendamus, quo potissimum nomine nihil se mihi hac in re debere contendat.*

Luminosæ pyramidis radii *(inquit)* in unum punctum coacti efficacius agunt, et propterea, ut ait Sarsius, luminosa objecta per eamdem pyramidem inspecta lucidiora putantur. Nihil verius.

Digitized by Google

Verissima quoque ejus rei ratio est ab eodem Sarsio assignata, quia lumen idem minori spatio comprehensum hoc illuminat magis; lentis autem experimentum, quæ radiis coactis incendit et spectantes vi lucis immodicæ excæcat, hæc omnia verissima ostendit. At falsum nihilominus est quod infertur. Ergo telescopium luminosa objecta magis illuminat. Quin potius, ut experimento constat, ea reddit obscuriora. Ratio porro est, quia hæc omnia a Sarsio enumerata solius convexæ lentis effecta sunt: cava enim radios dispergit, et propterea lumen imminuit. Cum ergo telescopium utroque constet vitro, convexo scilicet et cavo, quantum illud luminis acquirit, hoc tantumdem ac plus etiam dispergit: ex quo fit, ut luminosa per telescopium inspecta obscuriora compareant, quam si nudis oculis conspicerentur. *Hæc ipse.*

At ego huic malo facile remedium invenerim. Si enim quantum clarissimorum bonorum convexa lens, providus quasi pater, exaggerat, tantumdem cava, ubi ad illam tam pulchra pertingat hæreditas, prodigus quasi filius dispergit ac dissipat; in manu plane mea est prodigum decoctorem domo abactum exhæredare tantisper, ut aureis illis lucis divitiis expleantur large oculi, et clarius interim mihi Luna resplendeat. Telescopium igitur, si ab eo cava lens removeatur, vel ipsis sideribus addet splendorem (1).

At *(dicet)* si huic instrumento altera lens desit, telescopium amplius non est. Hoc enim ex utraque componitur.

Et tamen musicum illud organum, quod multis variisque tuborum ordinibus (registra vocant) constituitur, non usque adeo omnium illorum tenax est, ut non patiatur subinde, adactis abactisque cuncta moderantibus regulis, modo nos singulis separatim ludere, modo junctim universis; neque illi interim nomen organi deperit. Ita, si telescopium gemina lente componitur, poterit et quod singulæ et quod simul ambæ (2). *Sed sit ut libet, rem beneficio a me oblatam animo respuerit licet Galileus, non ideo facti me pœnitet.*

Haud ita mecum se gerit ipse, qui, quod modo ultro largitus est, nunc demum, puerorum quasi more, repetit. Vide sis *(inquit)*

(1) *Vedi la Postilla N° XLV.*
(2) *Vedi la Postilla N° XLVI.*

Digitized by Google

et illud quasi verum abire permisi, quod falsum nihilominus est: radiis nimirum in unum coactis, objecta ostendi lucidiora; aggerata siquidem ad unum punctum lux illa, cum maxime oculos imbuerit, tunc obruit magis et interjectum medium clarius efficit; quibus fit ut objecta obscuriora compareant. Tunc demum coactus hic splendor objecta illustraret magis, si ad illa, non ad oculum, pertingeret.

Male igitur non minus asseris, Galilee, hoc instrumento objecta augeri, quia incrementum istud in oculo est, non in objectis. Nam si vere objecta tubus hic auget, næ ille compendiosam divitiarum comparandarum artem invenit, quisquis hujus instrumenti auctor sit; aureus siquidem nummus illi semel inspectus millies evadet major, inspectus iterum in milionem excrescet: nec erit cur efficaces meas voces exoptes, quibus scruta ac ramenta domus tuæ in aurum convertam; quod infra contendes.

Quemadmodum igitur siderum incrementum per angulum ad oculum terminatum et in ipso oculo fit, ita major eorumdem illuminatio existet, si illorum species oculum attingens multorum aggeratione radiorum evadat illustrior. Tale enim quodcumque objectum existimamus, quale in oculo est; utque amplitudo illa major non ipsum contingit objectum, sed oculum, at nihilominus dicimus objectum ipsum excrescere; ita, quamvis lux illa major oculum illustret, non sidera, clarescere tamen inde dicemus et sidera: est enim par causa apparentis tum magnitudinis, tum splendoris.

Præterea verissimum quidem est, lucidum quodque tum minime videri cum oculos maxime impleverit; male tamen inde infertur: ergo videtur obscurius. Quin potius inde maxime sideris cujusque splendorem arguimus, cum nostros, quamvis avidos, avertit obtutus. Sol, omnium planetarum lucidissimus, quanto clarior est tanto minus videri se patitur; addo, neque illa qui circa ipsum consistunt oculis nostris permittit. Numquid tamen eumdem ideo obscuriorem existimamus? Immo vero vel hinc illi lucis addicimus principatum. Ergo, si quando luminosum oculos ac medium suo splendore compleverit, ut neque se neque sibi propinqua videri patiatur, longe illud clarius mihi erit, quam si oculos non conniventes admittat. Hæc igitur Galilei argumenta si, beneficio a me, etiam per jocum, oblato, beneficii nomen non abrogant; ridentem

Digitized by Google

dicere verum, quis vetat? Ne igitur in æquivoco iterum laboremus, ajo, tam vere a me dictum, sidera hoc instrumento, qua convexa constat lente, illuminari magis, quam ab omnibus ipso, qua lentem utramque complectitur, eadem augeri dicuntur (1).

EXAMEN XIII.

Omissa prima hujus examinis parte excusationum plena, ad accusationes progredior. Nam cum forte dixissem, magnam me apud Galileum gratiam initurum, si telescopium, quamvis non fœtum, alumnum certe ipsius ab invidorum calumniis vindicarem: Quid agis *(inquit)* Sarsi? dum de me meoque instrumento te optime meritum profiteris, meque tibi vel hoc nomine devinctum ostendere contendis, hoc ipsum, quod fœtum meum haberi volui, ut meum tantum alumnum inclamas?

Verum, si æquior aliquanto interpres esse velit, intelliget, eum qui ait, quamvis non fœtum, alumnum certe ipsius, alterum quidem certe affirmare, alterum tamen haud omnino negare; sed quod controversum est judicis relinquere arbitrio, quasi dicat, si non fœtum, alumnum certe. Quî enim Galilei fœtum telescopium dixerim, orbe pene reclamante universo? Ades tu mihi primum, Faber, vere candide, vere germane, nunquam tuæ simplicitatis tenacior, quam cum veritati accommodas verba. Tu nec vultum vereris Galilei, cujus ante ora viri, in ipso libri limine dædalea artificis manu depicta, olor vere candidus occinis:

> Porta tenet primas: habeas, Germane, secundas:
> Sunt, Galilæe, tuus tertia regna labor.

Non tu illum, credo, Plutonem facis, sortitum tertia regna, hoc est inferorum sedes; sed tertii regni nomine tertium a Porta eum fuisse intelligis, qui telescopium concinnarit. Hic enim in sua Naturali Magia, *annis ab hinc supra triginta, modum telescopii conficiendi, Opticæ saltem peritissimis (qualis, haud dubium, Galileus est) obscure licet vulgaverat, addita epigraphe* DE SPECILLIS QUIBUS SUPRA OMNE COGITATUM QUIS CONSPICERE LONGISSIME QUEAT. *Quod postea specillum ab ipsa figura columnare appellat. Secundam*

(1) *Vedi la Postilla N° XLVII.*

Digitized by Google

laudem Germano, hoc est Batavo, tribuis, cujus artificio vulgare indoctioribus quoque factum jam fuerat, quod Porta solis Opticæ peritissimis scripserat. Si quid igitur reliquum est laudis Galileo tertio loco tribuendum censes: nec abnuo. At enim exemplorum magna vis est, et animos gloriæ cupidos ad paria audenda facile pertrahunt. Incessit igitur animum cupido imprimendorum librorum artis investigandæ: at, inquis, vulgarem jam et omnibus notam rem tentas. Quid inde? Si eam iterum nullo magistro, marte meo invenerim, ni primus, alter saltem egregiæ artis inventor dicar. Quid ni? si Galileus eodem nomine tertius telescopii auctor dici potuit? Rides? Hæc tamen exempla longe melius ad rem nostram faciunt, quam Architæ columbæ, aut specula Archimedis, quæ solo nomine cognita mihi invenienda proponis. Hæc enim constanti solum mendacio fortasse ad nos pervenerunt; certe haud majori ea fide narrant historici, quam ego tibi ex iisdem Babylonios fundarum vertigine ova percoquentes protulerim: aut si visa aliquando ea sunt, nunc tamen nusquam habentur venalia. Cum vero reperiisse te modum telescopii conficiendi narras, Galilee, id saltem in Belgio vulgare jam erat. Da mihi igitur Architæ columbas, Archimedis specula, aut in Belgio, aut usquam gentium, emptori exposita, et ego, nihil cunctatus, haud infeliciori eventu, columbas Romæ quoque volantes publico in Theatro emittam, et specula flammas eminus ejaculantia Syracusiis non invidebo. Equidem Venetiis non fui, dum quæ de telescopii inveniendi ratione a te inita narras agerentur; fuerunt tamen haud pauci, et sane non vulgares viri, quibus tunc ipse familiarissime utebaris, quorum auctoritas etiam a nolente fidem extorqueat. Ab his si quantum in hanc rem accepi tantumdem exponam, nihil quidem fortasse falsi a te dictum constet, aliquid tamen veri omissum appareat, quod e re tua non fuerat. Sed malo interim quid me deceat, quam quid alius de me sit meritus cogitare.

Quod porro ad argumentum attinet desumptum ab exiguo stellarum et Cometæ incremento, ex quo inferebamus Cometam supra Lunam probabiliter statuendum, satis in Libra mea exposui; non quod multum ei tribuendum existimaremus allatum a nobis fuisse (1), *sed in gratiam id potius amicorum dictum, quod ingra-*

(1) *Vedi la Postilla N° XLVIII.*

Digitized by Google

tum nulli futurum timeremus. Postremis autem iis verbis, quibus parum Opticæ periti dicebantur qui id argumenti parvi facerent, non eos notatos qui illum ideo vitiosum ducerent quod telescopio revera æque omnia augeantur, sed eos qui ideo id minus probarent quod universim omnes ejus instrumenti operationes fallaces ac ludificationibus expositas volebant, nihilque ei proinde, quasi infido oculorum duci, fidendum asserebant; quibuscum paulo ante his fuerat magistro meo, quosque ideo publice arguendos duxit, nihil interim præcavens, ne forte hos dum peteret aliorum incurreret invidiam: ictum enim eo tantum perventurum putavit, quo eum destinarat. Si enim Galileus unquam ejusque dicta illi venissent in mentem, aliter animi sui sensa prodidisset: sic enim potius fuisset locutus. Scio hoc instrumentum ita plerisque suspectum esse, nullam ut ei fidem habendam existiment. Si enim quæ cominus per illud aspicimus non sine ludificationibus ostendit, multo magis ea, quæ longe reposita sunt, deformia atque larvata monstraturum. Sive igitur rerum mihi imagines grandiat, sive e tenebris antea non visa proferat, non sine ludibrii suspicione esse posse insueta spectacula. Sed nimirum hi parum Opticæ principia perpendunt, ex quibus quæcumque hoc instrumento videntur verissimæ objectorum species esse comprobantur, nullamque ei, si unum earum incrementum excipias, fallaciam subesse constat (1).

Hæc autem ita sunt, ut ingenue proferuntur. Vix enim iis verbis Galileum commotum audivimus, cum quo a nobis sensu prolata ea fuissent illi significandum curavimus, quod nec ipse dissimulat. Quæ cum ita sint, nihil erat cur in eo argumento profligando tantum verborum impenderet, quod nos ipsi haud pluris faceremus.

EXAMEN XIV.

Quamquam vero argumentum ipsum haud magni ponderis duxeram, illud tamen addideram, propositionem illam, sejunctim ac secundum se consideratam, qua dixi telescopium id habere, ut

(1) *Vedi la Postilla N° XLIX.*

Digitized by Google

objecta quo propiora fuerint magis augeat, minus vero quo remotiora, verissimam esse, eamque ad nullam certam rerum distantiam coarctandam, si in telescopii usu ea, quam rigor geometricus postulat, regula adhibeatur. Cum enim ex productiore tubo imagines majores reddantur, quanto autem propius objectum fuerit tanto longior tubus, et quo objectum remotius tanto brevior sit adhibendus, ut distincta rerum visio consequatur: hinc necessario fit, ut quanto remotior res quælibet fuerit, tanto minus crescat; crescat vero magis quo propior: semper autem duo objecta, si inter se conferantur, aut eodem ab oculo distant spatio, et requirent eamdem tubi longitudinem eodemque augebuntur incremento; aut distant inæqualiter, et tunc remotius brevius requiret telescopium et crescet minus, propius autem telescopium productius exposcet et crescet magis. Nulli igitur mihi statuendi fuerant termini propinquorum ac remotorum objectorum; atque ideo distinctionem illam objectorum in remota propinqua et media omisimus, quasi ineptam. Præterea remotis spatium amplius, mediis medium, propioribus minimum non tribuimus, quia universim et absolute loquentibus hæc opus non erant (1).

Nostrorum igitur dictorum ea est summa. Objecta quo propiora fuerint augentur magis, quia cum inspiciuntur productius requirunt telescopium; quo vero remotiora minus, quia telescopio breviore spectantur. Ex his porro constat, nec admirandis adhuc inventis ullam a me aperiri viam, neque male assignatam objectorum distinctionem in remota et propinqua; quæ primo Simbellator objecit.

At *(quod est alterum)* solam objectorum distantiam minoris incrementi causam esse voluit Pater Horatius. *Falsum.* Aliam non protulit. *Sed neque exclusit* (2). *An non sæpissime remotam causam inter loquendum usurpamus, proxima interim omissa, si præsertim secum illam remota afferat? ut cum perditorum hominum familiaritatem plerisque æterni exitii causam esse dicimus, cujus tamen verior causa propria scelera sunt, non aliena.*

Ergo *(inquit)* distantia objectorum tam causa est minoris incrementi, quam bonæ valetudinis avaritia: ut enim avarus

(1) *Vedi la Postilla N° I.*
(2) *Vedi la Postilla N° II.*

Digitized by Google

sobrius est, atque inde sanus, ita remotissima tubo breviore spectantur, atque hinc augescunt minus. *Sed neque hoc verum est. Nulla enim sobrietatis atque avaritiæ necessaria connexio est. Quin avarus, domi si cœnet alienæ, voracissime providus in dies plurimos aggerat quæ domi concoquat suæ; nec tantum helluo avarus nonnunquam est, sed et sobrietas competit liberali. Tubus autem brevior non nisi remotioribus objectis spectandis adhibetur, propiora vero non nisi tubo longiori distincta videntur. Est igitur nexus aliquis necessarius inter majorem minoremve distantiam, et majorem minoremve tubi contractionem, quem inter avaritiam et sobrietatem non reperias.*

Dixeram, positionis illius meæ veritatem, qua docueram, objecta quanto remotiora fuerint tanto breviore tubo spectanda, e rigore geometrico pensandam esse. At Galileus, Nihil est, *inquit,* quod Sarsius tam severe e rigore geometrico rem penset. Cum enim in atomos minutissimas rem omnem conciderit, quid tandem effecerit? (1) *Nimirum, Galilee, in lucem abibunt omnia, ac proinde clarius multo splendescent. An non ita sentis? cum scilicet quid in atomos solvitur lucem existere?* (2) E forse mentre l' assottigliamento e attrizione resta e si contiene dentro i minimi quanti, il moto loro è temporaneo e la loro operazione calorifica solamente; che poi all' ultima ed altissima risoluzione in atomi realmente indivisibili si crea la luce ec. *Cum ergo rem omnem in indivisibiles atomos conciderim, repente lux emicabit.*

Sed vix *(inquit)* capilli unius crassitudinem eam esse reperiet majorem minoremve tubi contractionem, quam objecta ultra Lunam posita exposcunt. *Sit ita sane; tu tamen ne propterea capillum hunc despice, nec pilum hunc pili feceris, qui vel unus positionem meam verissimam probat. Nimirum pilus hic pilum in manu mea est, in capite capillus, sed Samsonis: neque propterea, quod hic unus mihi reliquus est, ideo et hunc velli patiar. Memineris, non minus, immo plus etiam, molestum esse calvo quam comato pilos velli. Quin potius pilus hic simbellæ isthic tuæ delicatissimæ par pondus est: nec esse simbella potest, si pilum non expendit. Hæc igitur interim maneant, si e rigore geometrico lo-*

(1) *Vedi la Postilla N° LII.*
(2) *Vedi la Postilla N° LIII.*

Digitized by Google

quendum sit: cum tubo Lunam inspexero, ad stellas postea inspiciendas contrahendum illum pili saltem crassitudine, atque hinc minus aliquanto stellarum futurum incrementum quam Lunæ; quod ad positionis illius, sejunctim, ut ajebam, ac secundum se consideratæ, veritatem demonstrandam est satis.

Sed et illud hoc loco carpit. Dixeram, angulos visivos, cum eo devenerint ut propter maximam objectorum distantiam perexigui sint, quamvis postea ulterius removeantur objecta, illos non minui sensibiliter. Ubi Galileus vocem non sensibiliter, *qua solet fide* (1), in minori proportione *interpretatur, cum tamen ibi nullum verbum de hujusmodi decrementi proportione prolatum sit. Sed nimirum non potuisset aliter se Trigonometriæ magistrum probare, neque tantum doctrinarum profundere, nisi quam non feceram ipse sibi viam aperiret. Ego igitur nihil aliud volui, nisi in angulis visivis, quamvis ii semper in eadem aut etiam majori proportione decrescerent, ubi tamen exigui valde ob ingentem basis distantiam fuerint, tale decrementum non facile adverti. Si enim parum sensibilis est totus angulus, haud sensibilior pars ejus qua decrescit futura est, in quacumque proportione decreverit. Ita si centum bifariam dividantur, erit eorum decrementum maximum, nimirum 50; si vero subdividantur 50, minus revera erit decrementum, hoc est 25: in qua proportione si procedamus ulterius, erit unius unitatis divisio ferme insensibilis, sit licet progressio in proportione subdupla. Novit Galileus, punctum quodcumque rei visibilis in orbem species atque imagines suas per rectos effundere radios, eorumque interim radiorum ipsummet objectum centrum esse, in quo concurrunt et angulos constituunt. At nihilominus Opticæ magistri, ubi punctum hoc visum plusquam quingentis v. gr. passibus abfuerit, radios ab illo fluentes et vitreis specillis incidentes pro parallelis habent, easdemque iis refractiones assignant quæ vere parallelis assignari solent; et tamen paralleli non sunt, cum semper in puncto a quo profluunt angulum, quantumvis minimum, constituant. Quia tamen angulus hic perexiguus est, ideo negligitur, et radii a puncto remoto semper incidere paralleli, nec amplius inclinationem mutare existimantur, quamvis angulum vere semper minorem ac minorem proportionalibus decrementis*

(1) *Vedi la Postilla N° LIV.*

Digitized by Google

efficiant, quanto fuerit remotius id a quo fluunt. Idem plane accidit in tubo optico, in quo, cum ultra passuum quingentorum distantiam objecta constiterint, quantumvis postea ulterius removeantur, radii ab iis in vitra incidentes non mutant amplius, admodum sensibiliter, incidentiarum inclinationes, ac pro parallelis ferme habentur; ideoque eadem retineri potest tubi longitudo, neque ulla specierum confusio admodum sensibilis inde timetur. Hinc tamen non fit, ut revera radii illi, quanto objectum remotius fuerit, non incidant semper cum minori ac minori inclinatione; ac proinde, si rigorose agendum sit, non sit etiam tubus ipse, quamvis minimum, contrahendus. Tota enim ratio tubi contrahendi varietas est incidentiarum, quibus radii et species objectorum lentes attingunt; sed hæ inclinationes variantur in infinitum, ita ut nulla sit tanta distantia, ultra quam si statuatur objectum radii inclinationem ad lentem non minuant: ergo semper contrahendus erit tubus, si rigorose res agatur. Tota igitur illa, tam prolixa tamque erudita de angulorum decrementis disputatio, otiosa prorsus fuit. Me certe non attigit, sed eos tantum qui angulos hosce magnis minui decrementis negant, in quorum numero reponendus ipse non sum.

EXAMEN XV.

Hæc in Libra mea cum statuissem, ad aliam Galilei objectionem progressus illud subdidi: « At, dices, cum modo longiore, modo » breviore tubo utimur, non esse id saldem eodem uti instrumento.» Hic primum simbella delicatissima saltem *illud captat, in eoque aliquando ludit illuditque. Quid mirum? atomostathmica simbella est: Libra mea grandior aliquanto his non premitur.*

Sed et id conatur, ut lectori scilicet, atque etiam (si Deo placet) mihi persuadeat, non eumdem esse tubum productum et contractum: et quoniam oppositum variabilis illius exemplum tubæ citaveram, quæ sive contracta sive producta eadem semper est; hanc quoque aliam atque aliam perpetuo fieri contendit, dum voces edit diversas et varias figuras induit. Sed frustra. Ejus enim ratiocinatio id unum probat, tubam scilicet hanc mobilem mutabili illa longitudine variis singularibus tubis æquivalere; nunquam tamen efficiet, ut non semper eadem sit tuba mobilis, cujus natura ex omnibus hisce figuris quas induit, et quas edit vocibus,

Digitized by Google

composita est, atque hac ipsa mobilitate et figurarum variatione a singularibus tubis distinguitur.

Ita coluber, sive se in orbem plicet, sive serpat undatim, sive explicatis replicatisque annulis modo longior modo brevior fiat, unus tamen atque idem est, nec inde alius atque alius coluber fit. Sic follis, seu cum ventum attrahit explicetur, seu replicetur cum pellit, illa figuræ mutatione non alius atque alius follis efficitur. Hæc enim talia prorsus sunt, qua omnia illa præstare possunt, non autem qua tantum singula: follis, nisi explicetur repliceturque simul, follis non est. Neque animal illud oblongum coluber est, nisi multiformi illo flexu naturam probet. Sic tuba illa mobilis hoc uno a reliquis tubis distinguitur, quod sola ipsa valeat, quod omnes illæ. Quod si per hoc distinguitur, per hoc quoque in suo esse constituitur. Nec tuba mobilis est, si stabilis unam solummodo vocem edat, sed talem se vocum multiplici varietate et figuræ instabilitate prodit. Pari ratione tubus, et ipse mobilis ad omnia objecta spectanda formatus, adductione reductioneque illa id quidem efficiet, ut singularibus multis telescopiis, certis tantum objectorum distantiis addictis, æquivaleat; non inde tamen fiet, ut alius atque alius tubus mobilis perpetuus evadat, cum vel ex illa longitudinis mutatione ac mobilitate tubus mobilis existat. Cæterum, qui multiplici hac deductione tubum etiam multiplicem effici putat, is quoque tot linguas, tot ora habere se existimet, quot ea modis ad varios edendos sonos formaverit. At si hoc est, non erat cur ora centum ac totidem linguas optaret is, omnium scelerum formas ac pœnarum nomina dicturus, cum plura etiam quam optabat haberet. Sed bilinguis aut trilinguis sit, per me, qui volet, sit triceps Cerberus, vel centimanus Briareus; me ista delectant singularia vel bina, prout exposcit natura, Mæcenatis exemplo.

Examen XVI.

Hanc ego unam positionem probandam susceperam, objecta scilicet quanto remotiora fuerint tanto minus a telescopio accipere incrementum: (1) *quam, si geometrico jure agatur, veram fateatur Galileus necesse est. Semper enim, nullo longinquitatis objectorum statuto termino, magis remota contractiore tubo spectari postulant,*

(1) *Vedi la Postilla N° LV.*

Digitized by Google

et, quod inde consequitur, minus crescunt. Ad argumentum igitur Galilei, quo ait: Quæcumque eodem spectantur tubo, idem ab illo accipere incrementum: objecta vero omnia, ultra trecentos passus posita, eodem semper tubo spectari; accipere proinde omnia idem incrementum: *neganda est minor propositio. Est enim falsum, objecta omnia ultra trecentos passus posita eadem tubi longitudine spectanda esse, si ex rigore geometrico loquendum sit* (1). *Meminerit Galileus pili illius, ad cujus mensuram contrahendum telescopium, vi veritatis adigentes, confessus est: hoc enim vel uno pilo arreptum illum quo voluero vel renuentem pertraham. Est igitur ea positio verissima, si in telescopii usu non spectetur quid fiat, sed quid e rigore geometrico vel ad exactissimam speciei terminationem fieri debeat. Sed quoniam et illud addideram, varia illa tubi contractione nihil effici aliud, nisi ut instrumentum quidem semper idem sit, diverso tamen modo usurpatum, omnino contrario id modo se habere Galileus asseverat. Sic enim ille:* Chiamasi il medesimo strumento esser diversamente usurpato, quando senza punto alterarlo si applica ad usi differenti. E così l'ancora fu la medesima, ma diversamente usurpata dal piloto per dar fondo, e da Orlando per prender balene. Ma nel caso nostro l'uso del telescopio è sempre il medesimo, perchè sempre s'applica a riguardar oggetti visibili; ma lo strumento è ben diversificato, mutandosi in esso cosa essenzialissima, qual è l'intervallo da vetro a vetro. *Errat tamen, dum anchoram idem instrumentum Rolando ac nautæ fuisse putat Galileus, sed diverso modo usurpatum. Errat, inquam; quia instrumenta e fine specificationem et nomen sortiuntur, quæ philosophorum vox est. Ita ergo ferrum, quod ad sistendas naves anchora fuit nautæ, balænis expiscandis hamus Rolando fuit, ex fine prorsus diverso. Atque ut sæpe militibus in lebetes et cacabos galeæ, in lances et patinas abeunt scuta, et pro verubus gladii aut hastæ sunt; ita ferrum idem nautis anchora, hamus Rolando est: id quod etiam in hoc exemplo aptius dicetur, quod hamus, immanibus adeo piscibus expiscandis aptus, ab anchora nec materia differre nec figura possit. Noster vero tubus, vario licet modo usurpetur, tubus tamen est* (2).

(1) *Vedi la Postilla N° LVI.*
(2) *Vedi la Postilla N° LVII.*

Digitized by Google

EXAMEN XVII.

Vaticinium quoddam, examine 14 *ab se editum, Galileus nunc tandem eventu probat. Gratulor magno alioqui viro divinum hoc donum: nisi forte ex iis vatibus unus sit, qui divinat falsa.* Prius *(inquit)* solam objectorum distantiam minoris incrementi causam affirmarat Sarsius; nunc ad productionem contractionemque telescopii confugit, quod futurum supra prædixeram. At hoc est loco cedere et receptui canere, mi Sarsi.

Dignum plane Tiresia vaticinium! Cui enim potius similem Galileum dixerim, qui jam tantum abest a lynceo, ut neque grandioribus impressa characteribus legere potuisse videatur? An non vel unus ille locus examinis 14 *ab eo recitatus illum falsi apertissime arguit? an non is totus in eo est ut ostendat, ideo ex majori minorive distantia majus minusve objectorum incrementum oriri, quia, juxta distantiæ mensuram, contrahi producique postulat instrumentum? En, illam recitari iterum jubeo.* «*Asserimus* » *objecta tubo optico visa, quo propinquiora fuerint, eo augeri* » *magis, minus vero quo remotiora. Nihil verius. Galileus negat.* » *Quid si fateatur? Quæro enim ex illo, cum tubum illum suum,* » *et quidem optimum, in manus acceperit, si forte rem intra* » *cubiculi aut aulæ spatia inclusam intueri voluerit, an non is* » *longissime producendus sit? Ita est, ait. Si vero rem longe dis-* » *sitam e fenestra eodem instrumento spectare libuerit, contra-* » *hendum illico dicet, atque ab immani illa longitudine breviorem* » *redigendum in formam. Quod si productionis hujus contractio-* » *nisque causam quæsiero, ad naturam utique instrumenti recur-* » *rendum erit, cujus ea conditio est, ut ad propinquiora intuenda,* » *ex Opticæ principiis, produci, ad remotiora vero spectanda con-* » *trahi postulet. Cum ergo ex productione et contractione tubi, ut* » *ait ipse, necessario oriatur majus minusve objectorum incremen-* » *tum, licebit jam mihi ex his hujusmodi conficere argumentum.* » *Quæcunque non aliter quam productiore tubo spectari postu-* » *lant, necessario augentur magis; et quæcumque non aliter quam* » *contractiore tubo spectari postulant, necessario augentur minus;* » *sed propinqua omnia non aliter quam productiore tubo, longe*

Digitized by Google

» vero remota non aliter quam contractiore spectari postulant: ergo » propinqua omnia necessario augentur magis, longe vero remota » necessario augentur minus. » Hic ergo locus ille est (1), *ubi confidenter adeo in sola objectorum remotione minus eorundem incrementum repositum a me asserit Galileus. Hinc suæ vaticinationis prima ducit rudimenta; nempe ego sum, qui perpetuo in alienis dictis exponendis mentior, qui non dicta pro dictis allego, qui mihi quæ oppugnem confingo: Galileus vero, verax perpetuo vates, collimat semper.*

Mirum sane artificium! Dixeram, longe posita minus augeri quam propinqua, quia ad illa tubus contrahitur, ad hæc producitur. Sed cum positio hæc longior aliquanto esset, quam ut illam totam simbella tam exigua caperet, secanda simbellatori fuit in partes, quas sejunctim expenderet. Primam igitur partem examini primum admovit, hoc est ea verba: minus longe posita augentur, quam propinqua: *cum subito,* En, *inquit,* Sarsius in sola distantia causam minoris incrementi reponit; sed distantia causa est per accidens: æquivocat ergo a causa per accidens ad causam per se. *Mox partem alteram simbellæ imposuit, hoc est tubi productionem contractionemque examinavit, atque illico exiliens,* En, *inquit,* Sarsius loco cedit et receptui canit, aliasque nondum allatas minoris incrementi causas affert. *Argute profecto! At si grandior aliquanto fuisset simbella, ac totius positionis simul capax, advertisset Galileus, causam simul remotam ac per accidens, hoc est distantiam et proximam ac per se, contractionem videlicet tubi, a me allatam. Sed nimirum perinde fecit atque is, qui solus in pugna relictus, gemino adhuc hoste superstite, astu (quando aliter non poterat) numerosum hostem sejunxit, quo facilius cum singulis pugnaturus utrumque confoderet. Sed hic non astu pugnatur, sed rationum pensatur pondus. Tu ergo ne diviseris, quæ a me simul prolata sunt: sic enim me nunquam loco motum, sed meo semper in gradu stetisse comperies.*

Cæterum ubi dixi, magistrum meum, cum in suo Problemate ex pari incremento intulit parem Planetarum et Cometæ remotionem, non tam quæsiisse incrementi causam, quam effectum ipsum; nil aliud volui, nisi ipsum eo loco non multum laborasse, esseine

(1) *Vedi la Postilla N° LVIII.*

Digitized by Google

distantia vera ac propria minoris incrementi causa, an non; nihilque voluisse demonstrative ac veluti per causas statuere, sed ex quadam tantummodo apparentium aspectuum similitudine probabiliter similem arguere objectorum distantiam, sive illa causa vera esset ac proxima, sive saltem veræ ac proximæ, ut plurimum, annexa. Ut enim, cum oris lineamenta similia ac pene eadem in pluribus intuemur, probabili quadam conjectura ducimur ut suspicemur, iisdem illos parentibus genitos, neque perperam nos id conjecisse quis dixerit, quod ea oris similitudo diversissimis etiam natis parentibus sæpe contingat: ita, ex illo Cometæ ac siderum simili aspectu, similem prope distantiam non omnino perperam intulimus; cum id non quasi necessario, sed probabiliter tantum intulerimus. Nihil igitur est, cur tanto studio contendat Galileus, e pari luminosorum incremento demonstrative inferri non posse parem eorum distantiam, quam non nisi inde probabiliter conjicimus. Nam, si nihil ex Cometa per telescopium inspecto inferri potest ad eundem inter superna illa lumina probabiliter reponendum, quid est, quod Johannes Faber mihi semper æquanimus opportune canit, non olor modo, sed et aquila ac plane lynceus; mihi prospicit, dum enumeratis reliquis telescopii laudibus etiam illam addit, ejus scilicet beneficio Cometam Cœlo assertum:

Necdum finis adest: fulgentes crine Cometæ
Hoc oculo sidunt nobiliore loco. — ?

Quo enim alio modo id telescopio acceptum referat Cometa, quod siderum nobiliore loco donatus sit, nisi quia se nobis pari cum sideribus incremento monstravit? An et huic sibi amicissimo ideo succenset Galileus, quod ejus dum laudes persequitur meis se æquiorem rebus ostenderit? Cætera hujus examinis levissima sunt, uni simbellæ pensanda.

EXAMEN XVIII.

Miro hactenus artificio, quæ simul a me prolata fuerant sejunctim expendit simbellator: nunc separatim a me dicta, quasi juncta sugillat. Cum enim dixissem, ex sidereo Nuntio audisse me, inter cœlestia lumina quædam propria luce fulgere, hoc est Solem

Digitized by Google

ac fixa in firmamento sidera, alia a Sole lumen mutuari, hoc est Planetas: mox, alio veluti gradu facto, addidissem, observatum præterea ab eodem Galileo, stellas maxime inane illud lucis coronamentum adamasse, Planetas vero, Lunam præsertim, Jovem atque Saturnum nullo fere hujusmodi fulgore vestiri; Martem autem, Venerem atque Mercurium, ex Solis vicinia, radiosam illam stellarum vestem et scintillationem etiam imitari: respondet, mentiri nunc quoque me (1), *dum hæc omnia ab se in Nuntio sidereo dicta pronuncio*: solam Lunam detonsam sibi et calvam semper fuisse: Planetas vero reliquos et fixa sidera comata.

Sed primum, nec ipse quidem asserui, omnia hæc ex Nuntio sidereo haberi, sed illum unum, cœlestia scilicet inter lumina quædam propria, quædam Solis luce fulgere. Cætera aliunde me habuisse profiteor: ex hac igitur parte nihil mentior. Quamquam, si ad sidereum Nuntium illas quoque epistolas spectare dixerimus, quibus Solis maculas ac cætera omnia ab se in Cœlo observata prosequitur (quid enim Nuntii nomen sibi æquius vindicet quam epistola?), hæc omnia ex Nuntio sidereo habuisse me dixerim. Est autem quod Keplero etiam hoc nomine gratias agam, quod mihi in summo discrimine laboranti manum atque arma opportune porrigat. Nunc igitur Galileum ipsum, in epistola ab eodem Keplero in præfatione suæ Dioptricæ edita, loquentem audiamus; in qua cum prius affirmasset stellas propria luce fulgere, quod ad eas Solis lumen utpote remotissimi pertingere nequeat, ita pergit: Il principale fondamento del mio discorso è nell'osservare io molto evidentemente con l'occhiale, che quelli pianeti di mano in mano che si trovano più vicini a noi od al Sole ricevono maggior splendore e più illustremente ce lo riverberano. *Ex Solis igitur vicinia illustrius splendent Planetæ et micant acutius; idque probatur Martis exemplo.* E perciò Marte perigeo, e a noi vicinissimo, si vede assai più splendido che Giove, benchè a quello di mole assai inferiore; e difficilmente se gli può con l'occhiale levare quella irradiazione, che impedisce il vedere il suo disco terminato e rotondo; il che in Giove non accade, vedendosi esquisitamente circolare. *Juppiter ergo calvum se ostendit, et minus radiat.* Saturno poi per la sua gran lontananza si vede

(1) *Vedi la Postilla N° LIX.*

Digitized by Google

esattamente terminato, sì la stella maggiore di mezzo, come le due laterali piccolissime, ed apparire il suo lume languido ed abbacinato senza niuna irradiazione, che impedisca il distinguere i suoi tre piccoli globi terminatissimi. *Saturnus ergo, et ipse calvus, ne famulis quidem suis comam permittit. Si ergo Lunæ, quam ultro depilatam et calvam Galileus profitetur, Saturnum quoque ac Jovem addideris, quos aut depiles aut lanuginosos tantum hæc ipsa epistola prodidit, nihil falsi asseruit qui dixit, ex Galileo Lunam, Jovem ac Saturnum nullo fere hujusmodi fulgore vestiri. Falsum tamen is asserit* (1), *qui hæc se nusquam ac nunquam prodidisse confidentissime asseverat. Non ergo neget Galileus, Saturnum ac Jovem unquam ab se inter detonsa sidera numeratos.*

Illud quoque addideram, quando jam tot argumentis nobis constaret, Cometam supra Lunam statuendum, ac proinde quasi temporarium Planetam habendum; si verum præterea id esset, corpora scilicet Solis luce fulgentia quanto minus ab Sole abfuerint tanto fulgere clarius, micare fortius: cum idem fere hac ex parte Cometæ quod Mercurio contingeret, hoc est non multo minus radiaret, eumdem etiam non multo remotiorem a Sole statuendum.

Sed objicitur primo, Id a me prius statutum esse quasi certum, quod erat probandum, Cometam scilicet cœlestem esse et Soli proximum: mox inde certam ei a Sole distantiam assignatam, quod est ipsam conclusionem supponere, non probare. *Sed falsum est, id a me quasi certum poni quod erat probandum. Illud a me adversus Aristotelem ponitur, Cometam sublunarem flammam non esse, quod nec ipse Galileus ex parallaxi a nobis observata evidentissime demonstratum negaverit:* e finalmente il volerla mantenere uno abbruciamento, e costituirla sotto la Luna, è del tutto impossibile, repugnando a ciò la piccolezza della parallasse osservata da tanti eccellenti astronomi con diligenza esquisita: *ac propterea illum quasi temporarium Planetam habendum statui, quod etiam ex similitudine non una, quæ inter ipsum et Planetas intercedit, probaveram. Hoc deinde posito, ex quantitate radiationis certam a Sole Cometæ distantiam conjici posse existimavi. Non ergo conclusio ante principia posita est.*

(1) *Vedi la Postilla N° LX.*

Digitized by Google

Sed objicitur secundo, nulla in re Cometam se Planetis similem præbuisse, ac proinde nihil fuisse, cur ex hac similitudine temporarius haberetur Planeta. Numquid enim simili fulsit splendore? *inquit:* at quod lignum, quæ nubes, quæ stipula Solis imbuta lumine non æque resplendeat? *Ego vero, si una cum fumo fumantia quoque ligna ad Solem usque pertingerent, indeque nobis pari cum Planetis splendore fulgerent, si rotunda præsertim constarent figura, ac proprios cierent motus; nisi aliunde mihi se ligna proderent, Planetas dicerem. Sane, si Galileo credimus, si quis e lunari globo Terram despiciat, hanc quoque Planetam Luna clariorem dicturus est. Si quid igitur rotundum supra Lunam collocatum Solis splendore diu luceat, ac certo proprioque agatur motu, id ego Planetam assero. Cum ergo hujusmodi fuerit Cometa, nihil mirum si instar Planetæ habitus sit.*

Sed neque Planetarum motum imitatus Cometa est, *inquit:* neque enim iit quo cæteri, neque in orbem progressus est, neque ullum denique ordinem in motu servavit.

Non iit qua cæteri. *Sed si vim vocis simbella sustinet, vel ex hoc uno se magis Planetam probat, quod erravit. Sed* neque orbem motu descripsit. *Hoc vero tam pronum est negare, quam affirmare: utrumque enim cum motu in linea recta apparente stare potest. Si tamen non omnino orbem descripsit, fecit quod Planetarum nonnulli sibi licere voluerunt, cum ne ipsi quidem lineas circulares describant, sed aliter curvas.*

Sed quid, quod nullum in motu ordinem servavit?

Huic Galilei dicto omnes omnino omnium observationes repugnant, ex quibus constat certis semper proportionibus Cometæ motum decrevisse. Quin ipsemet, nisi cometico illi discursui repugnet, idem fateri cogitur, cum in illo motus cometici partes (Tab. I, Fig. III) *SO, ON, NI, IF in recta linea DF æquales ponantur, et anguli visivi certis proportionibus decrescentes. Hæc de splendore ac motu.*

Sed numquid materiam Planetis similem sortitus est Cometa? at illorum quidem solidam ac duram esse, tornata et stabilis figura vel ad sensum prodit; hujus vero, hoc est Cometæ, fluxam atque instabilem, confusa et indistincta facies persuadet.

Esto sane fluxa ac labilis Cometarum materia: nego tamen

Digitized by Google

inde apte inferri, illam a Planetarum materia diversam esse, quamvis illorum stabilis ac perpetua sit. Certe si crystallus ex aqua concrescit, aqua est non minus quam glacies; hæc tamen solis calore liquescit, illa fervet impune et micat ardentius. Argilla incocta, ac Solis tantum durata fervore, ubi immaduerit, solvitur; eadem, fornacis experta calorem, inter maris etiam procellas et undarum reciprocantium motus suam servat figuram. Potuit ergo eadem esse Cometarum et Planetarum materia, remaneant licet hi, solvantur illi.

Jam, quod ad figuram attinet, fuit hæc Cometæ rotunda atque distincta. Negat Galileus. Nempe illi integrum amplius id non est; jam enim disertissime affirmavit. Nimirum id illi nunc recte conducit; at mox, ubi discrimen se evasisse putaverit (namque et me juvat vaticinari), disertissime id concedet. Atque ut vaticinium evadat illustrius, locum, pagellam ac lineam, verba etiam ipsa præsignabo. Ma si può ragionevolmente creder che la Cometa sia un simulacro intero, e non mutilato e tronco *(Solis scilicet);* chè così persuade la sua figura regolata e con bella simmetria disegnata (1). *Si ergo Cometa fida atque integra Solis imago est, cum et cincinnatus sit Sol, erit et Cometa crinibus quidem longioribus ornatus, tornato tamen capite ac rotundo.*

Hæc igitur, quando ita sunt, Cometam adeo Planetis similem ostendunt, ut non Planeta pictus (quod Galileo videtur), sed verus plane, si præsertim visus ductus fuisset, merito appellari potuisset.

Sed quid tu, Sarsi *(inquit Galileus)* Mercurium cum Cometa contulisse te asseris? cum constet Mercurium eumdem totos eos dies solares inter radios ita delituisse, ut videri nulla ratione potuerit?

Audistis meram Astronomiæ medullam? Ecquis est, qui ex hoc confidentissimo loquendi modo, me Galileo plane deprehensum non existimet? At enim pudet me crimen adeo ineptum diluere, quod ipsis Astronomiæ tyronibus falsum illico appareat, et in caput statim recidat obtendentis. Diluendum est tamen, quando sapientibus atque insipientibus debitor sum. Ajo igitur cum Astronomiæ magistris, Mercurio visionis angulum assignari graduum decem, ita ut quotiescumque is ab horizonte emerserit, Sole decem

(1) *Vedi la Postilla N° LXI.*

Digitized by Google

adhuc gradibus depresso, tunc conspici possit. Primis autem Cometæ diebus, hoc est die 29 *Novembris anni* 1618, *fuit Mercurius in gr.* 19, 35′ *Scorpii, cum latit. bor. gr.* 1, 5′, *Sole interim gr.* 6, 43′ *Sagittarii percurrente, ac proinde a Sole aberat grad.* 17, 8′. *Ex his, si bene rationes subduxerit Galileus, inveniet in Romana latitudine, Sole* 10 *adhuc gradibus sub horizonte depresso, Mercurium gradus jam quinque in verticali supra horizontem obtinuisse. Ex quo liquido intelliget, licuisse tunc nobis per otium et quietem eumdem cum Cometa componere, quod audacter adeo pernegavit. Keplerus certe eumdem Mercurium die* 21 *jam viderat Augustæ, hoc est in plaga magis boreali, in qua Eclyptica horizontem secat obliquius, ac proinde difficilius quam Romæ conspici poterat. Sic enim ipse:* Mercurius apparuit in clara aurora clarissime, sed auroræ terminus multo superior Mercurio, qui non delebat Mercurium, delevit reliquum inferius hujus tractus. *Tractus hic illi Trabs erat, quam observabat. Distabat autem tunc a Sole Mercurius gr.* 17, 44′; *erat enim in gradu* 10, 53′ *Scorpii, Sole posito in* 28, 37′ *ejusdem signi: par igitur semper fuit Solis et Mercurii distantia. Si ergo Keplero videri tunc Mercurius potuit, potuit multo facilius nobis etiam die* 29, *utpote in sphæra minus obliqua collocatis. Quin etiam addo, eumdem Mercurium Romæ degentibus, ex Astronomiæ regulis, ad diem usque* 10 *Decembris videri potuisse.*

Postremo loco confusionem quandam verborum mihi objicit, quod nimirum ubi non minus admodum *dicendum fuerat,* non plus admodum *incauto irrepserit. Sed confusionem hanc facile benevolus lector excuset, aut etiam tollat, si* plus *illud expungat, ac* minus *reponat, ut sit sensus. Dum Cometa ex hoc eodem instrumento idem fere, hoc est, non multo majus quam Mercurius caperet incrementum; an non valde probabiliter inferre inde potuimus, Cometam eumdem non minus admodum circumfusi illius luminis admisisse quam Mercurium, nec proinde longieri multo a Sole dissitum intervallo? contra vero, cum minus augeretur quam Luna, majori circumfusum lumine ac Soli viciniorem statuendum?*

Opportune sane Galileus suo præcavit simbellatori, cui erratorum opusculum (nam pagellas aliquot impleverant) in calce assuit. Vidit enim, quam latus mihi se campus aperiret ludendo ac de-

Digitized by Google

ludendo aptissimus (1). *Sed quamvis Lynceus sit, multa tamen illum et gravia præterierunt, quibus opusculum justi jam operis posset mensuram æquare. Sed hæc carpere ejus sit cura, qui hujusmodi accusatione illud scilicet promeritus est, ut quicumque benevolo Lectori libros inscripserit, ex eorum numero illum exemptum velit, qui linguæ, aut etiam calami apertissimos lapsus, durissimus censor incuset.*

EXAMEN XIX.

In hoc examine hoc primum nomine arguor, quod quæ, quasi conjecturas et dubitanter, ipsi proposuissent, ego quasi ab iis certo definita impugnaverim. Sed nimirum, qui falsum aliquid esse ostenderit, illum ego utrique satisfecisse existimo, tum scilicet ei, qui dubitanter, tum etiam ei, qui certo illud quasi verum affirmarat. Sit ergo Galileus uter libuerit. Nunc ad rem ipsam.

Dixeram, ex Tychone ac Thaddæo Hagecio, tam multis argumentis, ac præsertim suæ splendore lucis, naturam suam Cometam prodidisse, ut quicumque illum attentius inspexisset ex verissimorum collationum luminum judicare facile posset, fictumne esset an verum quod cerneret. Ego vero *(inquit Galileus)* non adeo me Lynceum agnosco, ut si Solis oculis agendum sit hæc inter se distinguere valeam. Quin potius simiolum me illum plane profiteor *(canem se initio, et quidem Molossum dixerat: Proteum, credo, vides)*, qui, cum suam in speculo imaginem intuetur, certo credit alium se latere post speculum, nec ante falli se intelligit, quam sæpius ad gemellum suum curiosius perquirendum nequidquam accurrerit.

At ego, cum nudis oculis et tubo optico inspicienti cometici corporis veritatem constare potuisse dixi, duo quasi certa posui. Alterum est, de hominibus non ratione tantum pollentibus, sed utentibus etiam, sermonem esse: alterum vero, ex verissimorum collatione siderum id deprehensum fuisse. Atqui vel ex hoc ipso intelligas, Galileum supra simiolos sapere, quod numquam is, ubi imaginem in speculo suam inspexit, se congeminasse putavit, ac ne semel quidem latentem post speculum Galileum alterum indaga-

(1) *Vedi la Postilla N° LXII.*

Digitized by Google

vit. Nempe is non oculos corporis tantum, sed et mentis habebat adhibebatque. Ita etiam, cum paleas, guttas herbis atque oleribus insidentes, aliaque id genus tam clare ab Sole micantia offendit, nunquam brassicis aut lactucis lapsa Cœlo sidera insedisse existimavit. Nempe ex verissimorum collatione siderum Terræ quisquilias agnoscebat. At si quando hic idem Galileus in Lunarem orbem, aut mundum illum Jovialem, vi aliqua sublatus, ex æternis plane illis collibus ac montibus humilem hunc Terrarum despiceret globum, Planetam Luna ipsa majorem clarioremque se videre existimaret; nec immerito, quando hunc ipsum in omnibus, Planetis persimilem deprehenderet. Quibus porro in rebus Cometa se Planetis similem nobis ostenderit, præcedenti examine satis est explicatum. Potuit igitur qui Cometam inspexit, si, ut oculis, ita mente uteretur, ex lucis, figuræ ac motus conditionibus ejus veritatem indagare, atque ab inanibus simulacris eximere.

Examen XX.

Ait primo, numquam sibi aut Mario excidisse, Cometam, ex vaporibus fumidis in altum ultra umbrosum Terræ conum provectis ac Solis luce ebriis, extitisse, neque Cometæ materiam eamdem numero esse cum materia Auroræ borealis. At ego interim nihil moror, sit ne Cometæ atque Auroræ borealis materia eadem numero; satis enim mihi est eadem specie sit, sed longe rarior atque tenuior: neque vim ullam positam volo in iis verbis, vapores fumidi, *ac per me licebit pro vaporibus exhalationes usurpare. Sed videamus quid Marius dixerit, quidve non dixerit.* A me, al quale non ha nel pensiero avuto mai luogo quella vana distinzione, anzi contrarietà, tra gli elementi od i cieli, niun fastidio o difficoltà arreca, che la materia in cui s' è formata la Cometa avesse talvolta ingombrate queste nostre basse regioni, e quindi sublimatasi avesse sormontato l' aria, e quello che oltre di quella si diffonde per gl' immensi spazj dell' Universo ec. *Cometæ igitur materia, quidquid ea sit, in altum ultra umbrosum Terræ conum provecta est. Illam vero aut fumidum quid, aut fumido simile esse, quæ sequentur ostendunt.* Anzi di simili sublimazioni di fumi, vapori, esalazioni o qualsisieno altre sottili e leggiere

Digitized by Google

materie elementari, parmi che spesse volte ne abbiamo degli altri rincontri. In oltre, che per i celesti campi vadano simili fumosità vagando e producendosi e dissolvendosi, quel che prima sensatamente, e poi dimostrativamente, è stato proposto e provato dal nostro Accademico delle Macchie del Sole ce ne rende in modo sicuri, che ragionevolmente non resta luogo di dubitarne. *Ex his satis apparet, quid de Cometæ materia hoc loco statutum sit, esse videlicet aut exhalationes fumidas, aut quid simile. Nunc ad rem propius.*

Dixeram, si ex halitibus e Terra in altum subvectis Cometa extitit, haud immerito mirari me posse, illum per lineam rectam, ut voluerat Galileus, atque perpendiculum ascendisse (1). *Cum enim per eos dies vi maxima perflaret Aquilo, necesse fuit materiam illam, dum ab imis niteretur ad summa, inter prima cum ventis luctantem longe lateque dissipari atque evanescere, aut certe a recto illo cursu non parum deflectere.* At quid *(inquit Galileus)* si e Perside, aut Sinensi Regno hic vapor ascendit? unde, ut certis accepimus nuntiis, exulantibus eo tempore omnino ventis, in summa Cœlum malacia perstabat immotum?

At quid, Galilee, si hujus te mox dicti pœniteat? Age sis: quam longe Roma distare Persidem existimas? gradibus, ni fallor, aliqua saltem sui parte, 60. *Sinense vero Regnum? toto, minimum, quadrante. Bene est; vaticinari iterum libet* (2). *Tempus et locum prænuntio, pagellam ac lineam ad marginem indico, ubi Cometam vel in Tusculano natum optabis.*

Sed demus *(inquit)* ex Italia Cometæ materiam ascendisse: potuit tamen ante illos ventis infestos dies iter illud ingredi, ita ut prius ad orbem cometarium, a Terra 47000 passuum millibus distantem, pervenire potuerit, unde primum fulserit, quam e suis cavernis ruerent venti.

Sed et hoc indictum voles, optabisque Cometam haud magno a Terra dissitum intervallo. Cum enim Examine 31 *dixero, Cometæ ascendentis initium, v. g., distare Roma grad.* 60, *eumque in orbe cometario reposuero, tunc utraque tibi distantia nimis ampla videbitur, ac dices:* Ma, sig. Lottario mio, se l'avversario dirà,

(1) *Vedi la Postilla N° LXIII.*
(2) *Vedi la Postilla N° LXIV.*

Digitized by Google

ch' ella non era tanto lontana, a molte migliaia di miglia, e l'osservatore parimente assai più vicino; che farete voi del vostro sillogismo, che conchiuderete? *Nempe id demum concludam, Galileum non dis sibi constare. Usque adeo ductilem, facilem ac plane ceream ipse potius nactus est Philosophiam.*

Antequam vero hinc abeam, examinanda mihi paulo enucleatius nonnulla sunt, quæ iis Galilei verbis continentur: Non dice il sig. Mario, che quella dell'aurora boreale sia in numero la medesima materia delle Comete, la quale è necessario che sia assai più rara e sottile che i vapori crepuscolini, e che quella materia della detta aurora boreale, atteso che la Cometa risplende meno assai dell'aurora. Sicchè se la Cometa si distendesse, v. g., lungo l'oriente nel candor dell' alba, mentre il Sole non fusse lontano dall'orizzonte più di 6 ovvero 8 gradi, ella senza dubbio non si discernerebbe, per esser manco lucida del campo suo ambiente. *Quæ si suas digerantur in partes, has ferme propositiones continent.*

Prima, materiam Cometarum non esse eamdem numero cum materia auroræ et crepusculorum, sed rariorem multo et subtiliorem.

Secunda, materiam hanc, quanto rarior fuerit, tanto minus lucere; cum ejus raritas probetur ex eo, quia minus splendet.

Tertia, Cometam aurora et crepusculinis vaporibus minus lucidum esse.

Quarta, Cometam in aurora et crepusculis non apparere, quia ab ambiente lucido splendore superatur.

Hic vero quot dicta, tot errata censentur. In prima propositione quasi inter se opposita ponuntur, non esse eamdem numero materiam, sed rariorem multo ac subtiliorem; cum tamen major vel minor raritas individualem substantiæ rationem mutare non possit, cum accidens sit. Sane cera, eadem numero calore rarescit, concrescit frigore; aqua ebullit eadem, subsidit eadem; fumus ipse, dum ascendit, idem perpetuo rarescit magis. Hæc universim. Illud ex Galileo ipso: e corporibus odoratis multa emanant corpuscula; hæc, dum magis ac magis rarefiunt, domos ac vias implent; sunt tamen eadem semper numero corporis illius odorati substantia. Potuit ergo Cometæ materia rarior multo ac subtilior esse, quam materia crepusculorum, quamvis ab illa ne numero quidem differret.

Digitized by Google

Secundam positionem interim sepono, usui mihi alibi futuram. Tertiam vero et quartam simul expendam; quarum postrema præcedentis fundamentum esse videtur. Ex eo enim, quod Cometa in aurora dispareat, infertur rarior ejus materia, ac proinde etiam lumen debilius: nam unde Galileo Cometam lucere minus constat, nisi quia in aurora ipsa disparet? Neque enim video, quonam alio ex capite conjecerit. Verum ex hac argumentandi forma, si ea admittantur, hæc pariter inferre licebit. Disparent in aurora stellæ (1)*; hæc igitur rariori constant materia, et lucent minus, quam aurora. Planetæ omnes, præter Lunam, in crepusculis clarioribus latent; ergo rariores et ipsi sunt quam vapores crepusculini, et languidius micant. Contra vero, quælibet candelæ flamma, sui interjectu, Planetas et stellas videri non patitur: hæc igitur flamma Planetis ac stellis densior et lucidior est* (2)*. Novimus tamen, si vera fateri velimus, densiores longe Planetas esse, ac proinde crepusculinis vaporibus clariores. Nam densiores illos atque opaciores ex eo colligimus, quod lumen non transmittunt, sed ea tantum parte splendent qua Solem respiciunt* (3)*. Quod si densior Planetarum materia est quam crepusculorum, clarius illa splendescet quam hæc, cum ex secunda propositione constet, luminosorum materiam, quanto rarior fuerit, tanto debilius radiare. Si ergo nihilominus non Cometæ solum, sed etiam Planetæ in aurora disparent, aliunde hujus ratio petenda est, non ex eo quod luceant minus.*

Falsa igitur est ea illatio: in media auroræ luce Cometa disparet; ergo lucidior aurora est quam Cometa. Quæro enim, quænam auroræ pars ea sit, cujus splendore Cometæ lumen obruitur? An forte illa, quæ ipsum Cometam videtur ambire? id enim significare videntur verba illa: per esser ella manco lucida del campo suo ambiente. *Sed ambiens lucidius non obstat, quin partes minus lucidæ videantur: nam solares maculæ, et ipsæ, si Galileo credimus, lucidissimæ, in lucidiori tamen Solis disco distinctissime dignoscuntur.*

Quin et lunares maculæ lucis non modicum habent; at nihilominus in eadem Luna lucidiore conspicuæ sunt. Idem, ut exempla

(1) *Vedi la Postilla N° LXV.*
(2) *Vedi la Postilla N° LXVI.*
(3) *Vedi la Postilla N° LXVII.*

Digitized by Google

desint, ratio ipsa persuadet. Si enim ambiens lucidius sit, quidquid in eo lucidum minus statutum fuerit, vel ipso lucis defectu se prodet. Dixisset saltem Galileus, ideo Cometam in aurora confundi, quod par utrique sit splendor; tunc enim, si id verum esset, lucis illa parilitas lucida adeo similia internosci non sineret. Non ergo ambiens lucidius obstare potest. Sed numquid obstabit illa auroræ pars, quæ oculum et Cometam interjacet? Nequaquam. Nam ex altissimis puteis, vel in ipso meridie, stellæ conspiciuntur, eodem tamen vapore lucido oculum inter ac sidera interlucente. An non Galileus ipse, diem integrum, Jovem toto Cœlo fugitantem telescopio insecutus est? et tamen inter Jovem et Galilei oculos, etiam telescopio armatos, idem ille perpetuo fulgebat vapor, qui inermibus ac nudis oculis intuenti Jovem eumdem tegere videbatur. Nimirum, Galilee, vis nosse uter clarius fulgeat, vapor ne crepusculinus, an Cometa? tantum lucidi illius vaporis in judicium advoca, quantum se tibi ostendit Cometa, ut sint mole pares; sic enim intelliges, quanto Cometa sit clarior. Hoc autem egregie præstat telescopium, dum perexiguam lucidi vaporis partem demittit ad oculum. Ego sane id ausim affirmare, si eadem se mole ostenderent stellæ qua Luna, nullius unquam auroræ, ac ne meridiei quidem luce extinguendas. Luna enim, quamvis hebetiori splendore fulgeat quam stellæ, toto conspicua die candicat; quod non splendori, sed magnitudini acceptum refert. Nihil igitur mirum, si exiguæ admodum stellæ, quamvis lucidissimæ, totius auroræ splendore obliterentur: quibus tamen si pari mole ejusdem auroræ particulæ conferantur, longe obscuriores deprehendentur (1).

Ex his igitur multo verius atque aptius hoc inferas: ex puteis altioribus, atque etiam ex aperto loco, telescopii beneficio etiam in meridie spectantur sidera; ergo hæc clariora sunt omni interjecta materia. Atque hæc fortasse altior aliquanto ac profundior erit philosophandi ratio.

EXAMEN XXI.

Omissa vocali fabula, exaggerando volumini tantum adhibita, si quid ego in hac Libræ meæ parte dixerim, quidque sibi maxime

(1) *Vedi la Postilla N° LXVIII.*

Digitized by Google

impugnandum foret attentius inspexisset Galilæus, haud ita longum instituisset examen, ac brevius multo rem totam absolvisset. Sed nimirum, cum simbellator multus in nummi alicujus expensione fuerit, id ipsum argumento est, aut nihil aut vix quicquam justo deesse ponderi.

Summa igitur meæ argumentationis hæc est, qua Cometam ex fumidis vaporibus sive exhalationibus constare non posse contenderam. Imagines rerum distinctæ atque integræ ex lævibus tantum ac politis superficiebus redduntur; at Cometa, Galilei judicio, Solis imago fuit integra atque distincta: ergo ex superficie aliqua lævi ac polita remitti debuit. Sed vapor rarus aut fumida exhalatio neque lævem neque æqualem habent superficiem; ergo ex his Cometa remitti non potuit. Hæc, inquam, summa est ratiocinationis meæ; in qua si major primi syllogismi admittatur (cui reliqua maxime nituntur), cum minor etiam ex ipso Galileo sit vera, consequentia negari non poterit. Antecedens porro adnexi enthymematis haud erat probatu difficile, tum quod lævor omnis ac politura ex unione ac constipatione partium existat, quæ in hujusmodi fumidis materiis desideratur; tum vero maxime, quod experimento constat, nullam ex his directe oculo appositis distinctam atque integram imaginem reddi. Ex his autem ultima consequentia necessario inferebatur. Quare satis erat Galileo primi syllogismi majorem propositionem, aut antecedens subsumpti enthymematis falsum ostendere, neque ulterius illi laborandum erat. Nihil igitur juvat, imagines ex æquis, speculis ac roridis vaporibus remissas adducere; cum de his nemo ambigat. Nihil item, imagines mutilas, dispersas atque informes, etiam e nubibus, nebulis, rarioribusque fumis proferre; cum nos de integris, distinctis atque affabre delineatis loquamur, qualis, haud dubium, fuit Cometa. Si ergo ex hoc examine ea tollantur quæ nihil ad rem faciunt, quantulum tandem id erit quod mihi expendendum relinquetur?

Videamus igitur, quid e tanta rerum, aut potius verborum, turba dictis meis opponatur. Hæc erit propositio diluenda: Imago integra atque distincta non nisi ex lævibus corporibus redditur. Parhelia *(inquit)*, quæ integras Solis imagines referunt, corpora rarissima sunt, sicca et nullius lævitatis (1). Lignea (Tab. IV, Fig. I) aliqua regula,

(1) *Vedi la Postilla N° LXIX.*

Digitized by Google

oblique inspecta, imagines rerum, alteri ejusdem extremo applicatarum, integras atque distinctas reddit. Vapores a Sole e parietibus educti, ei qui in altero parietis extremo oculos statuat, imaginem alterius ex adverso adventantis regerunt. Atqui, nec lignea regula lævis est (1), nec vapores hujusmodi superficiem politam æqualemve habent: imago igitur integra ex rebus etiam non lævibus redditur; quod negat Sarsius. *Hæc Galileus in summa.*

At ego primum, Halonum, Parheliorum atque Iridum materiam siccam nulliusque lævitatis esse, diserte nego, sidereus licet Nuntius affirmet. Ajo quippe, humentem potius ac roridam eam esse, ac proinde, quod aqueis omnibus commune est, alicujus lævitatis. Hoc mihi vel illud unum persuadet, quod non nisi in pluviis aut rorantibus nubibus Irides fiant, quidquid Galileus sentiat; quod Halones et Parhelia pluviarum imminentium argumenta philosophis habeantur, ac propterea ab his adhuc inter impressiones humidas numerentur: quamquam, quid hic nobis cum Halone atque Iride, quæ Solis integræ imagines atque distinctæ non sunt? Vapores item illi, a Sole e parietibus educti, nihil sunt aliud, nisi humor quem e recenti pluvia paries imbibit. Hinc crebriores a pluviis et densiores extrahuntur. Hi igitur, cum a superficie parietis non multum discedant, sed eam quasi lambentes ascendant, aliam quasi superficiem eidem parieti veluti superinductam constituunt, sed humentem et nonnullius lævitatis; quæ licet tanta non sit, ut e directo spectanti ejus reddere possit imaginem, oblique tamen intuenti reddit alienam: quod ut fieri possit, ex ligneæ regulæ, oblique etiam inspectæ, explicatione constabit.

Ajo igitur, ligneam regulam, seu quamcumque tabellam, si dolata probe sit atque e ligno præsertim duriori constet, oblique inspicienti lævissimam esse; ac proinde nihil mirum, si integram atque distinctam reddat immaginem. Quod ut apertius fiat, statuendum illud est, corporum asperitatem omnem aut extuberantibus particulis, aut abscedentibus introrsum cavitatibus fieri (2): sed inæqualitas, quæ partium illo dissidio, poris intersidentibus, inducitur, hæc earundem partium constipatione tollitur et lævatur.

(1) *Vedi la Postilla N° LXX.*
(2) *Vedi la Postilla N° LXXI.*

Digitized by Google

Nobis igitur planas superficies e directo inspicientibus, quidquid in poris subsidit elatiores partes dispergit atque sejungit, ac propterea quidquid imaginum in iis pingitur concisum dispersumque diluitur. At vero easdem superficies oblique speculantibus, dum quidquid cavum est ac depressum occulitur, nullo se prodente dissidio, elatiores partes connexæ nulloque intervallo sejunctæ videntur, et lævorem simulant, quo integras reddunt imagines. Ceterum, aciem illa aspectus obliquitas fallit: quas enim partes hæc ipsa in unum congesserat, directus mox iterum sejungit obtutus, et cavis iterum disjuncta lacunulis rarescunt elata, sicque, lævore omni pereunte, dissipatæ obliterantur imagines. Idem etiam evenire videtur in illa vaporum parietes lambentium superficie, si oblique inspiciatur; lævor enim ille, qui satis non erat ad imaginem e directo remittendam, in illa aspectus obliquitate apparet major, ac proinde objectæ rei reddit simulacrum. Sive ergo vera, sive simulata, semper requiritur corporis lævitas, ut integram atque distinctam rei imaginem reddat; ac verissima tandem ea positio comprobatur, quæ asserit, non nisi a lævibus ac politis corporibus sinceras imagines remitti posse. Nam si reddendis imaginibus lævor non requiritur, quid causæ erat, cur vapores parietem lambentes, ac ligneam regulam oblique inspiciendam diceret Galileus? Ut enim si quis asserat, cujusque rei aptam imaginem eamdem, in partibus, magnitudinum, situs ac distantiarum proportionem serbare debere, quam, cujus imago est, exemplum in se contineat; atque huic, ut ejus dictum falsum ostendatur, illæ objiciantur imagines, Opticorum artificio sectis angulatimque junctis partibus compaginatæ, quæ, cum forte hinc spectanti equum ostenderint, mox inde intuenti hominem reddunt; aut etiam aliæ immodicissimis membris ita delineatæ, ut e directo inspectæ nihil humani referant vultus, sed, geographicarum instar tabularum, marium anfractus, sinuosos portus, montes ac sylvas (quamquam ne hæc quidem probe depicta) ostendant; at vero si in latus abscesseris, atque obliquius semper propiusque tabulæ ejusdem extremæ oræ admoveris oculos, longissimi illi terrarum tractus paulatim contractione mirabili formentur in frontem, nasum, mentum ac labra; sinuosi portus ac lacus evadant in oculos, ripis una cum adnatis arboribus in palpebras abeuntibus et supercilia;

Digitized by Google

montes mutentur in malas, barba et capillitium existat e sylvis, ac pulchre humani concinnitas vultus et venustas e deformi illa linearum textura consurgat: si hujusmodi, inquam, objiciantur imagines, in quibus nulla servari videtur partium magnitudinum ac distantiarum proportio, respondendum erit: si obliqui tantum aspectus ratio habeatur, ad quem solum recta et concinna imago consequitur, exactissimam in illis servari partium omnium proportionem; cum picturæ partes omnes, in illa aspectus obliquitate, iisdem conspiciantur radiorum angulis, quibus re ipsa veri oris membra directe inspicientibus sese ingerent oculis. Ita in lignea regula, ac similibus, si obliquissime inspiciantur, illa eadem videntur, quæ in corpore lævissimo cernerentur; cum sic in illis nulla partium distinctio, pori nulli cernantur, et æqualem se superficies oculis exhibeat. Lævorem enim, qui in corpore vitreo, v. g., undique intuenti conspicitur, in ligno, quamvis poroso atque aspero, visus obliquitas simulat. Verum hæc oculi ac rei inspectæ obliqua dispositio in nostro Cometa locum habere non potest. In lignea enim regula, et vaporibus parietem lambentibus, semper imago rei visæ media inter rem visam atque oculum consistit. At Cometa, elapsis præsertim primis diebus, inter oculum ac Solem, cujus imago esse creditur, numquam fuit.

Objicit præterea Galileus sphæræ vaporosæ superficiem, quam nec lævem esse nec humidam, sed siccam et raram asserit, cum tamen stellarum in ea refractiones producantur. Ego vero sphæram vaporosam nec siccam, nec omnino asperam existimo; quin potius aliquam repugnantiam implicare videntur hi termini, vaporosum et siccum, cum vapor nihil aliud sit nisi aqua attenuata: quidquid autem sit de refractione, nos de reflexione integræ imaginis loquimur.

Nunc quædam attingam leviter, quæ in hujus decursu examinis mihi non omnino prætereunda visa sunt.

Primum est, ea, quæ de Solis imagine e mari reddita (sive e tranquillo integra ac pura, sive e commoto dispersa late atque informis) eruditissime, tamquam quid novum, protulit Galileus, mihi quidem jam pridem fuisse cognita; ac de his ipsis publice multos ante annos in Romano Collegio disputatum, proposito etiam rei totius emblemate utramque Solis effigiem referente, quæ postea

Digitized by Google

pictura, parieti affixa, ad hunc usque annum testem se hujus veritatis exhibuit. Secundum est: ex Galileo, hoc loco, substantiam ætheream, utpote summa perspicuitate præditam, incapacem refractionum esse: quod quidem verum existimo. Videtur tamen repugnare iis, quæ idem Galileus habet, Epistola prima de Maculis solaribus ad Marcum Velserum (1). Venere, nel suo esorto vespertino, ancor che ella sia di gran splendor ripiena, non si scorge se non poi che è per molti gradi lontana dal Sole, e massime se amendue saranno elevati dall' orizzonte: e ciò avviene, per esser le parti dell'etere circonfuse intorno al Sole non meno resplendenti dell'istessa Venere ec. *Si ergo ætheris partes Soli circumfusas tanti luminis capaces existimat, easdem refractionibus reflexionibusque obnoxias esse necesse est. Viderit igitur Galileus, qua sibi ratione constet. Ego interim verius existimo, Cœli substantiam, lumini maxime perviam, nihil ad se lucis sensibilis derivare; sed quam a Sole aliisque luminosis acceperit, illam omnem, nulla objecta mora, qua suo fertur nutu, libere euntem dimittere.*

Tertium, quoniam et illud addideram objeceramque Galileo; si Cometa non ex alia eluceat materia, quam e vaporibus hujusmodi fumidis, non in unum globum coactis, sed, ut ipse ait, satis amplum Cœli spatium occupantibus, omnique ex parte Solis luce fulgentibus; quid tandem causæ esset, cur ex angusto tantum brevique orbiculo spectantibus semper affulgeret: Qua lege, *inquit Galileus*, aut quo more, Sarsi, brevissimum orbiculum Cometam dicis, quem Pater Horatius, Magister tuus, quadrata milliaria 87,127 continere jam ostenderat? *Scis, Galilee, qua lege, quo more? eo plane, quo tu Saturnum ejusque Satellites minutissimos globulos dixisti, in epistola supra ex Keplero recitata:* senza che impedisca il distinguere i suoi tre piccoli globi terminatissimi: *qui tamen, nisi fallor, aliquanto grandiores res sunt, quam Cometa. Saturni certe apparens area, in media remotione a Terra, juxta recentiorum mensuras, milliaria quadrata* 396,859,662 *comprehendit, ac proinde cometicam aream propositam continet quater millies quingenties quinquagies quater. Illam tu aream exiguam atque angustam nominas, severus postea*

(1) *Hujus editionis Vol. III, pag.* 384.

Digitized by Google

in me Cato, quod Cometam, tanto minorem Saturno, angustum brevemque orbiculum dixerim?

Quartum. Ut probet Galileus, Iridem non in roridis tantum nubibus gigni, columbarum mihi objicit colla, in quibus, etiam siccis, eosdem colores intuemur. Sed meminerit, ideo me roridam nubem poscere, ut scilicet lævor superficiei lumen repercutienti adsit; quod si aliunde lævor idem habeatur, facessere interim pluvias jusserim. Plumulæ columbarum ac pavonum lævissimis constant villis, atque ad lumen remittendum aptissimis, nec omnino carent perspicuitate; nihil igitur mirum, si colores illos pariant. Addo tamen mihi probabile admodum videri, colores illos non fictos atque inanes cum luce nasci, cum luce pariter interire; sed stabiles potius ac veros esse: tum quod ii non nisi in coloratis certa ratione columbis visuntur (in candidis enim, v. g., nulla colorum varietas cernitur, sed in omni aspectu unus enitet candor): tum etiam quod non iidem plumarum atque Iridis colores sunt; immo nec iidem columbarum omnium, nec omnium item plumarum. Ut hinc merito suspicari possim, geminis plumulas illas tinctas esse coloribus, quorum alter extimam, intimam alter partem infecerit; atque hinc, e diversitate aspectus, modo unum, modo alterum singillatim videri, modo permistos in tertium quemdam degenerare: quod etiam in pannis versicoloribus accidit, qui, cum duplici revera colore constent, utrumque e vario aspectu reddunt, ac tertium etiam ex utroque compositum non semel ostendunt.

Sed præterea, quicquid tandem inspexeris *(inquit)* seu lignum, seu saxum, particulas in iis quamplurimas deprehendes, eosdem illos Iridis colores minutissime referentes.

At, qui particulas easdem attentius inspexerit, læves omnino illas, perspicuas etiam, ac lumini tum regerendo, tum etiam refringendo, aptissimas deprehendet.

Quintum. Ut ostendat, ad Cometam producendum non requiri corpus lævissimæ superficiei: En tibi *(inquit)* exemplum aptissimum affero. Vitream sume ampullam: huic tu pinguis alicuius materiæ particulam aspergito, quam mox leni digiti ductu per vitrum dispergas. Jam si accensam candelam huic ampullæ ita objeceris, ut quæ ex vitro remittitur luminis imago partim puram, partim oblitam attingat ampullam, egregium Cometæ simula-

Digitized by Google

crum intueberis. Pars enim purior caput, pinguior barbam referet.

At, quid agis, Galilee? nondum vides, quam male in rem tuam hoc exemplum cadat? Ampullæ pars purior caput refert Cometæ. *Esto sane: quid inde? ergo ne hinc inferas, quod e re tua foret? ergo ad caput Cometæ producendum non requiritur lævis superficies? Non potes, quando oppositum omnino hoc exemplo evincitur. Annon vides te tuis jaculis confici? nimirum pura ampullæ superficies lævissima est, et non nisi ex hac caput Cometæ emicat* (1).

EXAMEN XXII.

Quoniam igitur ad integram Solis imaginem reddendam lævem requiri superficiem jam multis ostenderam; in impressionibus autem vaporosis, ex quibus Cometam existere innuere visus fuerat Galileus, lævor hujusmodi haberi non solet, nisi cum, densiores, aquei multum habuerint: minus tunc easdem Cometæ formando aptas affirmaveram, quod, utpote graviores, eo conscendere minime possint, unde Cometæ fulgent. His etiam illa addideram. Quod si quis nihilominus affirmare audeat, nihil prohibere, quo minus vapor aqueus ac densus vi aliqua altius provehatur, ab eaque refractio hæc atque reflexio Cometæ proveniat (nullum enim aliud huic effugium patere videtur); cum longa experientia compertum sit, quo rariora corpora fuerint magisque perspicua, minus ea illuminari, saltem quoad aspectum, magis vero quo densiora et cum plus opacitatis habuerint: cum Cometa ingenti adeo luce fulgeret, ut stellas etiam primæ magnitudinis ac Planetas ipsos splendore superaret, densior ejus materia atque aliqua ex parte opacior dicenda erit. Trabem enim eodem tempore, quod ejus summa esset raritas, albicantem potius, quam splendentem, nullisque radiis micantem vidimus. Verum si densus adeo fuit vapor hic fumidus, ut lumen tam illustre ad nos retorqueret, atque, ut Galileo placet, si satis amplam Cœli partem occupavit, qui tandem factum est, ut stellæ, quæ per hunc subjectum vaporem intermicabant, nullam insolitam paterentur refractionem? Hæc ego.

Sed negat primo Galileus, excidisse sibi unquam dictum adeo

(1) *Vedi la Postilla N° LXXII.*

Digitized by Google

ineptum, vapores scilicet aqueos ac densos ad Cometam producendum a Sole fuisse elevatos.

Sed neque id a me Galileo adscriptum: illam, ni fallor, loquendi formam secutus sum: Quod si quis nihilominus affirmare audeat etc. *ubi illud* si quis *latius, credo, aliquanto patet quam unus Galileus.*

Remotissimum quoque a vero illud est *(inquit)* corpora scilicet, quo rariora fuerint, minus in speciem illuminari. Nubes certe non minus splendent, quam montes e durissimo marmore, sint licet illæ saxis rariores.

Sed meminerit hoc loco Galileus, quo de genere corporum loquamur, de vaporosis scilicet ac fumidis; de iis, uno verbo, quæ per aera ac Cœlum ipsum ad Solem usque pervolant (1). *Inepta igitur est hoc loco montium a nubium comparatio. Ajo igitur inter hæc rapida ac fumida corpora eorum raritati ac tenuitati lumen quoque certa proportione respondere, ut, quo fuerint rariora, eo luceant minus. Mentiar, nisi vox hæc Galilei est. An non is supra Examine* 20 *Cometam e rariori longe materia constare dixit, quam Auroram, quod hæc longe etiam clarior appareret quam Cometa?* La materia delle Comete è necessario che sia assai più rara e sottile che i vapori crepuscolini, e che la materia della detta Aurora boreale, atteso che la Cometa risplende meno assai dell' Aurora. *Atque hæc illa fuit secunda positio, quam mihi ex illo examine in hunc locum seposueram. Si ergo ex minori Cometæ luce major ejus tenuitas et raritas necessario, ut ait Galileus, infertur, constat ad raritatis mensuram corporibus hujusmodi lucem quoque distribui; quod hoc loco negavit simbellator. Addo tamen, ne id quidem mihi usque adeo compertum esse, nubes videlicet quovis monte clariores apparere, si tamen montes pario et candido marmore constent, parique aspectu Solis luce feriantur: id ipsum et ratio persuadet. Lux enim, in corpora rariora incidens, multum sui ultra corpus transmittit, neque tota reflectitur: cum ergo ea tantum pars luminis ab oculo conspiciatur, quæ ad ipsum regeritur; a corporibus autem opacis et densioribus pene tota resiliat: hinc fit, ut necessario illustrius, cæteris paribus, apparere debeat opacum ac densum corpus, quam tenue ac rarum.*

(1) *Vedi la Postilla N° LXXIII.*

Digitized by Google

Neque illud admittit Galileus: Cometam stellis primæ magnitudinis ac Planetis ipsis fulsisse splendidius.

Quid mirum? Lectulo affixus eo tempore, ac decumbens ex morbo, fenestras non nisi provecto jam die pandere solitus est. Testantur tamen hoc ii, qui primis illum diebus, summo mane, dubio adhuc die, intuiti, lucidioris Auroræ æmulum obstantes domorum parietes suo inaurasse splendore mirati sunt. Keplerus certe, cum eumdem quamvis tantulum inspexisset, eo tamen splendore præditum affirmavit, ut Lunæ vigesimæ septimæ lucem exæquaret: at quæ stella, quisve Planeta tantum luminis ad nos remittit?

Sed demus *(inquit)* fumidum densumque vaporem eum fuisse, ex quo fulsit Cometa: non tamen hinc sequitur, hujus materiæ interpositu ingentes stellarum refractiones, locorumque mutationes existere debuisse. Radii enim, qui diaphanum interpositum ad angulos rectos secant, non refringuntur; ex quo fit, ut refractiones in sphæra vaporosa non nisi in maxima ad horizontem inclinatione contingant. At cum Sarsius Cometarum materiam in plaga remotissima ac proximam Soli reponat, nullæ ex illa haberi refractiones poterunt; cum, hac ratione, radii ac species per illam materiam ad nos pertingentes, ad centrum veluti sphæræ tendere videantur. Cum ergo hæc asserit, non satis videtur intelligere quid refractio sit, aut quomodo hæc fiat.

Noverim ne quid refractio sit, quave ratione fiat, aliorum esto judicium: nihil interim id moror. Illud unum satis habeo hoc loco quærere, an maxima cometicæ materiæ distantia refractionem tollere possit. Scio igitur, si materia hæc in superficiem Terræ concentricam, non longe ab ipsa Terra, affundatur, refractiones non nisi in maxima radiorum inclinatione parituram; quod, ut Galileus ipse advertit, in sphæra vaporosa quotidie accidit; atque ubi sidera v. g. altius provecta fuerint, ea se fidelissime suo loco ostensura. Illud etiam interim abire permiserim (quod tamen non semper verum existimo) quamvis eadem materia in superficiem Terræ concentricam, sed ab eadem Terra remotissimam, explicetur, in nulla inclinatione, quamvis maxima, refractiones siderum producturam. Sed quis nebulis, vaporibus, aut halitibus levioribus legem hanc posuit, ut in aura etiam ætherea, quæ Terræ figuræ non attemperatur, Terræ ipsi semper sphærice circumfundantur? Nos certe

Digitized by Google

hæc omnia, quamdiu oppositu solidioris alicuius corporis ulteriori non prohibentur ascensu, in globum cogi videmus, ut in nebulis, nubibus ac fumis quotidie experimur (1). *Cum ergo materia hæc Cometarum, Galileo annuente, ascensu semper recto in altum, nullo prohibente, contendat, globatam potius, quam in superficiem Terræ concentricam extensam ascendere illam existimem. Quod si in globum, instar nubium, coacta est, nunquam non refractaria fuisse dicenda est. Globus certe vitreus, quantumvis a Terra remotissimus statuatur, stellarum radios oblique exceptos nonnisi refractos transmittet. Atque hæc quidem, non solum quamvis Cometæ materia remotissima statuatur, sed si non longe etiam a Terra consisteret, non solum in maxima radiorum inclinatione ac prope horizontem stellarum imagines refringeret, sed etiam in ipso vertice. Unde enim nobis Halones atque alia hujusmodi, Sole in maxima altitudine posito? Sane vel hinc intelligi potest, aut etiam prope verticem refringi posse sidera, uta non usque adeo in sphæricam superficiem hujusmodi vapores explicari, ut refractiones parere nequeant.* Sed præterea *(inquit)* Sarsius stellarum distantias inter se tunc a Magistro suo exactissime observatas asserit, cum Magister ipse minus exactas suas Cometæ observationes fuisse affirmet, quod aptis careret instrumentis.

Scio, Magistrum meum Cometæ observationes minus certas asseruisse, tum quod instrumentis careret grandioribus, tum vero maxime (quod Galileus omisit) quia nulla horarum, quibus quæque observationes contigissent, habita fuisset ratio. Sed tamen non est par ratio observationum cometicarum et siderearum; et facilius nobis fuit iteratis quotidie observationibus stellarum inter se distantias metiri, cum hæ non mutarentur, quam stellarum et Cometæ, cum hic saltem quotidie locum mutaret. Negavit igitur Pater Horatius, Cometæ ac stellarum distantias exactas fuisse adeo, ut omni carerent suspicione; non autem idem de distantiis stellarum inter se dicendum voluit, quas, collatis multorum dierum observationibus, majori veluti numero testium confirmare potuerat. Nihil igitur a Magistro suo discrepat Sarsius.

Sed videamus, postremo loco, quanto aptius eos arguat, qui Cœlorum soliditatem ex eo impugnare solent, quia, si solida atque

(1) *Vedi la Postilla N° LXXIV.*

Digitized by Google

in singulis diversa Cœli constarent materia, et, quod inde consequitur, diversæ omnes perspicuitatis essent, perpetuo stellarum sedes ac loco multiplici radiorum refractione mutarentur. Errant hi *(inquit)* et nulla prorsus hæc ratio est; quia orbium illorum amplitudo nullas patitur ad nos imaginum refractiones pertingere, quamvis superficiebus variæ perspicuitatis Cœli constent. Ipsa namque Cœlorum amplitudo eccentricitatem sentiri non patitur, perindeque est, atque si in eorum centro constituti essemus.

At ego, si eccentrici Cœli sint, diversæque perspicuitatis, validissimum omnino argumentum illud existimo, quod Galileo nullum est. Statuatur enim primo Cœli soliditas tanta, v. g., quanta est vitri, aut corporis cujuspiam durioris atque perspicui; si ergo capax refractionis est Cœlum, iisdem subjacebit legibus, quibus et vitrum. His positis affirmo, Galilei dictum verum fortasse futurum in Cœlis remotioribus; at vero in Lunæ eccentricis ingentes adhuc refractiones siderum existere posse, neque horum distantiam tantam esse, ut eccentricitatem sentiri non patiatur (1). *Sit enim* (Tab. IV, Fig. I) *eccentricus deferens Lunæ epicyclum FECG, cujus centrum B remotum a centro Terræ A semidiametris ejusdem Terræ decem, ut ii statuunt; eccentrici autem ipsius semidiameter BC contineat Terræ semidiametros 44. Erit ergo centrum B a superficie Terræ remotum semidiametris 9. Jungantur centra linea AB, et ad B ducatur ad angulos rectos IB secans circumferentiam ECG in C, et per C ex H ducatur radius HCD. Dico in puncto C ab oculo H nullum sidus videri posse non refractum. Si enim videri potest, videbitur radio HCD; sed, si ex Trigonometria rationes ineantur, invenietur angulus HCB grad.* 11, 34′: *radius ergo HC tantumdem a perpendiculari BC declinat: dum igitur ad medium diversæ densitatis et perspicuitatis transit, refringentur ea refractione, quæ inclinationi grad.* 11, 34′ *debetur, plus minus, prout densius aut rarius fuerit medium ad quod transit. Hujusmodi autem inclinationi satis sensibilis debetur refractio, ut ex omnibus Opticæ magistris constat: refringetur igitur in C imago siderum. Quod erat ostendendum. Atque hic quidem rigor adhibendus erit, si ratio tantum eccentricorum habeantur. Nam si epicycli etiam in judicium advocentur, ridiculum plane est ad eorum distantiam recurrere, quæ*

(1) *Vedi la Postilla N° LXXV.*

Digitized by Google

nullo modo refractiones impedire, ac proinde nulli adjumento Galileo esse potest. Si enim epicyclus Lunæ, v. g., E instar vitreae sphæræ fuerit, in quacumque distantia inter sidera atque oculum reponatur, stellarum ultra ipsum positarum radios oblique exceptos semper refringet. Radiorum autem obliquitas et inclinatio in his epicyclis non intra terminos 11 *aut* 15 *graduum se se continet, sed ulterius longe progreditur, ut cuicumque Opticis vel mediocriter instructo, perspicuum esse potest. Quare, si admittamus Cœlos diversæ densitatis et perspicuitatis et refractionis capaces, nihil proderit refractionibus tollendis ipsa Cœlorum distantia, saltem in lunari eccentrico atque epicyclis omnibus; ac proinde inest adhuc adversariorum argumento vis sua. Sed fortasse non venerant Galileo in mentem eccentrici omnes atque epicycli, cum audacter adeo nullas refractiones ex orbium multiplicitate existere posse pronunciavit. Quoniam vero hoc etiam examine repetit Galileus quod supra jam dixerat, vapores scilicet crepusculinos longe clarius micare quam stellas; monendus is mihi iterum est, ne in re tam gravi sententiam adeo properet, sed suum in hac re telescopium consulat, a quo audiet, Jovem vaporibus non solum crepusculinis, sed meridianis etiam clariorem esse; quando vel in meridiana luce telescopii ejusdem beneficio cernitur.*

Examen XXIII.

En antiquæ iterum recurrunt querelæ, et repetita toties accusatio, diluta semel abunde. Nunquam asseruimus *(inquit)* Cometarum materiam eandem esse cum materia solarium macularum. *At si non eamdem asseruistis, similem certe esse voluistis.* Anzi di simili (1) sublimazioni di fumi, vapori, esalazioni o di qual si sieno altre sottili e leggier materie elementari ec.

Quoniam vero Cometæ et solarium macularum materiam sursum ferri ad perpendiculum dixerat Galileus, quæsieram, quid illud postea esset, quod materiam eandem in orbem ageret circa Solem. Quid hic simbellator? Existimat Sarsius, tenuem aliquam materiam ad Solem usque recto cursu provectam, ibi a Sole in gyrum agi non posse. *Sed unde tibi, Galilee, hæc de me tam ab-*

(1) *Vedi la Postilla N° LXXVI.*

Digitized by Google

surda subrepsit suspicio? An quod quæsieram, a quonam vapores ille recto semper cursu, naturæ ductu, tendentes, Soli deinde proximi agerentur in gyrum? Ergo si quis ex te quærat, quanam vi ferrum ad magnetem feratur, erit tibi perinde, atque si ferrum ad magnetem ferri non posse dixerit? Ergo si quis etiam et illud interroget, quidnam illud sit quod Iridem circinat et colorat; idem tuo quidem judicio, fecerit asserenti, Iridem neque in gyrum curvari, nec pingi posse? Immo vero, nisi me mea fallit Dialectica, cum quis rei alicujus causam inquirit, rem ipsam supponit. Si ergo id unum quæsivi, quid nimirum illud esset quod vapores sursum vi sua tendentes circa Solem ageret, ex te saltem supposui, illos et nutu suo sursum ferri, ac mox etiam circa Solem rotari (1).

EXAMEN XXIV.

Sed ad geometricas tandem rationes veniamus, quibus, miserum me! quantum mihi creavi negotii! in quas memet angustias indui! huic scilicet armorum generi impar, et adhuc hujus arenæ imperitus. Dixeram, si Cometa ex apparentium imaginum genere sit, illum earum quoque naturam imitari debuisse, ut, quam in partem Sol moveretur, in illam obsequenti mobilitate ferretur et ipse. Sic enim Iris, Corona, et marinis aquis impressa Solis imago, spectra lucis inania, illud perpetuo servant, ut, quacumque Sol agitur, illo sequantur aut præcedant: quod cum Cometæ non acciderit, hoc saltem argumento illum sese ex inanium simulacrorum numero eximere potuisse. Hic vero, Si ergo, *inquit Galileus*, ostendero Cometam vani alicujus simulacri mores secutum, licebit, hac etiam lege, mihi eundem inanium simulacrorum numero addere. *Ita sane.* Sit igitur *(inquit)* Sol (Tab. III, Fig. III) in H primum, mox elevetur ad G, perveniat deinde ad F; videbitur ergo primum in mari radio AI, mox AE, tertio AD: at si hujusmodi radii non in superficie maris terminati intelligantur, ut voluit Sarsius, sed ad Cœlum usque, ut par est, producantur, respondebunt ejusdem Cœli partibus LMN: ascendente igitur Sole supra horizontem O, imago sub eodem horizonte æquis passibus de-

(1) *Vedi la Postilla N° LXXVII.*

Digitized by Google

scendet. Non in quam partem Sol fertur, fertur et Solis imago. Cometa autem huic ipsi exemplo se similem præbuit, dum, Sole in austrum abeunte, in boream flexit; idem igitur hoc nomine spectrum se inane probavit.

Næ ego in angusto deprehensus videri possim! per hæc tamen ipsa, quæ fugio, tentabo fugam. Principio quidem, etiam hic se plus nimio exiguam prodit simbella, dum positionem meam longiusculam, in partes tantum dissectam, pluribus examinibus expendit: at vero si omnia dicti mei verba simul pensentur, facile constabit, nihil hic mihi a Galileo objici, quod ipse mihi non proposuerim, atque etiam, ni fallor, diluerim, iis maxime verbis: « *Quod* » *si quis forte aliam reflexionis refractionisve regulam Cometis tri-* » *buendam existimet, illud saltem statuendum est, ut quam semel* » *admiserit motus legem, servet perpetuo.* » *Videram enim rationem haberi posse* (Tab. III, Fig. III) *tum marinæ superficiei BO, in qua imago Solis, illo ascendente, accedere videtur ad B, ac proinde in eamdem partem ferri in quam Sol movetur; tum etiam Cœli sub horizonte latentis ON, ad quod si referatur imago, Sole ascendente, illa descendet: quare, ut huic occurrerem objectioni, illa subdidi:* » *Fuerit ergo Cometarum lex non Solis motu moveri, sed plane* » *contrario, ut proinde, dum hic in austrum tenderet, illi in* » *septentrionem aufugerint, debuerant iidem illi, Sole ad septen-* » *trionem redeunte, in austrum contra propter eamdem rationem* » *moveri* (1).» *Ut ergo constet, ne hanc quidem legem servasse Cometam, in eadem figura persistamus; in qua, esto sane, Sole ex O ad E usque ascendente, ejus imago descenderit ad N: ergo, ex indicta lege e contrario, Sole ad O iterum ex F descendente, imago ex N ascendet ad O. Cum ergo a die* 21 *decembris, hoc est a brumali solstitio, Sol in septentrionem iterum regrederetur, debuit noster Cometa in austrum, unde discesserat, remeare, ut contrariis motibus, uti cæperat, cum Sole moveretur. Hic tamen constantissime eundem motus tenorem in septentrionem servarit: ergo ne hanc quidem inanium simulacrorum legem sibi imponi Cometa passus est; nihilque proinde, tam valido scilicet argumento, Galileus evicit.*

Præterea, ex ejusdem vi legis id servat Solis imago, ut æquis

(1) *Vedi la Postilla N° LXXVIII.*

Digitized by Google

semper passibus, in casu nostro, cum Sole progrediatur. Spatia enim OL, LM, MN, ab imagine confecta, æqualia omnino sunt Solis gressibus OH, HG, GF: at in nostro Cometa, nihil tale accidit. Hic enim, a suo exortu heliaco ad solstitium usque brumale, Sole toto eo tempore gradibus tantum tribus in austrum dilapso, in septentrionem gradus absolvit sexaginta; ut hinc appareat, quam scilicet morigerum aurigæ suo Soli se præbuerit. Hic ego nihil profero, quod in libra mea disertissime expressum videre non potuerit simbellator, si legisset attentius. Sed fecit fortasse quod solent nonnulli, et objecta a me mihi, tacitis responsionibus, protulit quasi sua. Sed enim meos ipsos partus agnosco, vel sub aliena veste.

Objicit præterea mihi formas loquendi, geometris inusitatas et minus proprias, a me usurpatas: quod videlicet dixerim, Solem propius ad verticem C actum, ad nos quoque propius accessisse, hoc est ad verticem mensoris A (nam quod ille aliis verbis ait dixisse me, idem esse ad verticem et ad centrum ferri, commentum ipsius est, non dictum meum). Loquendo tamen modus a me usurpatus usitatissimus est, et, si ad geometriæ severitatem referatur, verissimus. Nam, quod ad suum spectat, Æthiopes propiore Sole denigratos dicimus, quia eorum vertici Sol propius imminet. Hiemem præterea æstatemque accessu ad nos recessuque Solis fieri affirmamus, qui accessus recessusque respectu tantum verticis desumitur. Hæc de usu (1). *Id autem etiam verissime dici satis ei constabit, qui propositionem 7 lib.* III *Euclidis aliquando viderit. Sit enim* (Tab. IV, Fig. II) *Terræ centrum A, oculus mensoris in superficie ejusdem Terræ sit D, ejus vertex E, a quo ad centrum ducta sit EA; sitque AB horizon verus, DC horizon apparens, ac proinde Sol in horizonte apparente sit in C, affirmo, quanto propius Sol ascendendo accesserit ad E, tanti etiam propius accessurum ad D. Ex illa enim Euclidis propositione, linea DC reliquarum omnium DH, DG, DF, DE maxima est, DE minima, reliquæ majores seu minores, prout maximæ vel minimæ propiores sunt. Ergo neque inusitatis, neque falsis loquendi formis usi sumus. Illud autem, ut ajebam, falso mihi tribuitur, idem scilicet esse ad centrum et ad verticem ferri. Neque enim punctum B in illa mea*

(1) *Vedi la Postilla N° LXXIX.*

Digitized by Google

figura pro centro Terræ ponitur, sed pro loco mensoris in Terræ superficie, qualis est in ultima hac figura locus D. Neque hoc dissimulare debuit Galileus, cum punctum B ibi in eadem maris superficie, quasi in littore, statuatur. Non est igitur B centrum; et, velit nolit, idem est accedere ad verticem et ad punctum B, hoc est ad mensoris locum. In quem ergo recidit illud: aut Cæsar, aut nihil?

Pergamus ad ultimum objectorum. Si imago *(inquit)* Solem consequitur, ergo Sol quoque suam consequetur imaginem. At videat Sarsius quid hinc demum sequatur. Ducatur (Tab. III, Fig. III) linea OR, ad quam producantur radii DF, EG, IH, desinentes in R, Q, P. Jam si Sol per lineam OR moveri intelligatur, in maris superficie, imago nihilominus per IED progredietur ad B, cum tamen Sol per puncta PQR revera magis semper ab eodem puncto B recesserit. Sol ergo non suam insequitur imaginem, sed ab ea refugit.

Ego vero non ad sudorem usque in hac impressione repellenda laboraverim. Erit qui suum pro me pectus opponat, is qui Cometam per lineam DF sese agentem ad verticem tamen H propius semper accedere existimavit, quod Cœli partes NML, per quas radii visivi aguntur, semper sint eidem vertici H propiores. Ita, quamvis in nostra figura (Tab. III, Fig. III) *revera Sol in R remotior sit ab A quam in Q, quia tamen pars Cœli F, cui Sol positus in R congruit, propior est vertici A quam pars G, cui respondet cum est in Q; ideo tunc etiam magis ad A accedere dicitur. Cum igitur idem ambo dicamus, aut absolvat utrumque, aut utrumque damnet simbellator.*

Illud denique quasi appendix additur: quidquid a me dictum est, supponere Cometæ materiam uno semper eodemque loco consistentem; at si hæc moveri intelligatur, aliter philosophandum fore. *Ego vero nihil de materiæ hujus motu ac statu moveo aut statuo. Affirmo tamen, motum rectum atque ad Terram perpendicularem satis esse non posse. Alii si motus addantur, aliter fortasse tunc philosophandum. Hi ergo cum additi adhuc non sint, nihil erit cur novas difficultates moveamus.*

EXAMEN XXV.

Quoniam vero similis saltem asserebatur Cometarum materia ejus ex qua Irides atque Halones existunt, dixeram hinc sequi,

Digitized by Google

debuisse etiam Cometam in arcum curvari, quod Iridi et Coronæ accidit. Hic vero usque eo admirationis procedit simbellator, ut pene in stuporem abeat. Neque id mirum; de Iride loquimur, quæ Thaumantis, hoc est admirationis, est filia. Sed ad ipsam admirationis causam veniamus. Sarsius *(inquit)*, quia Irides atque Halones in gyrum a Sole pingi viderat, in circulum quoque curvari debuisse Cometam asserit *(adde, Galilee, quod subtices, si ex eadem, qua illa, existat materia)* immemor solaris imaginis mari ac stagnis impressæ, solarium item per nubes projectionum, hoc est imaginum Solis minime circularium.

Equidem solaris imaginis aquis impressæ immemor non eram, ejus tamen memoria nihil me, materiam levissimam atque rarissimam tractantem Cometarum, movit. Aqua enim densissima est, gravis, et, quod in rem nostram maxime facit, unius tantum superficiei; Iridum vero Halonumque materia, præter levitatem ac raritatem, id habet, ut non quid continuum sit, sed, ex minutissimis guttulis constans, tot superficies numeret quot guttas. Diversissima igitur materia est Iridum, solarisque imaginis mari impressæ: atque, hac saltem ex parte, quod uni convenit, haud necessario competit alteri (1). *Si ergo Cometarum materia similis est materiæ Iridis, non autem marinis fluctibus; similior quoque Iridi futurus Cometa est, quam solari imagini fluctibus marinis impressæ. Projectiones autem radiosæ Solis, velit nolit Galileus, in orbem a Sole profluunt, eumque, si nubes permittant, veluti coronant: sursum enim ac deorsum et utrumque projiciuntur in latus. Marinæ igitur imaginis exemplum ad rem non facit. Alterum vero projectionum solarium dictum meum suo etiam suffragio firmat* (2). Sed quid, quod in sua argumentatione Sarsius rem maxime necessariam omittit? dispositionem scilicet localem materiæ atque oculi? Ad Iridem ejus formandam plana requiritur materiæ superficies, eaque directe oculo opposita: si enim opponatur oblique, nunquam Iris pingetur; quia angulus A tunc illam superficiem uno tantum in puncto continget.

Credideram equidem, magnis etiam viris excidere interdum aliquid posse, non usque adeo ad ejus, quam profitentur, sapientiæ

(1) *Vedi la Postilla N° LXXX.*
(2) *Vedi la Postilla N° LXXXI.*

Digitized by Google

limam expolitum; at vero tam absurdam vocem a Galileo expectassem nunquam. Ergo ne ad Iridem producendam requiritur materiæ superficies plana? (1) *eadem ne directe oculo opposita? At Iris, nisi fallor, in pluviis gignitur; in quibus, si guttulas singulas considéres, aut rotundæ hæ sunt, aut rotundis proximæ: pluvia porro ipsa, ut omnibus simul guttulis constans, nullius certæ figuræ est, eamque sortitur ex nube quæ in illam solvitur, et ventis quibus agitur. Ubinam igitur in pluviis superficiem hanc planam reperies? Vidisti ne unquam expressam per vim e fontium fistulis aquam, ac minutissimum in rorem expansam, Solem gravem, Iridem illico parere circinatam? Age sis, haustam tantisper ore aquam, cum e fenestra cubiculum Sol invaserit, aversus ipse a Sole in illuminatam cubiculi partem minutim exsuffla, et Iridem illico formabis. An, quæso, in planam æquantur superficiem expressæ sive e fontium fistulis, sive ex ore guttulæ? Certe, cum decidente e nubibus imbre Iris exprimitur, nulla pluviæ totius certa superficies est: sive enim ad perpendiculum decidat, seu vento agatur in latus, seu sinuoso turbine rotetur; Iris tamen ex illo, eodem semper existit loco. Ea nimirum corporum hujusmodi non continuorum conditio est, qualia sunt pluviæ ac vapores (quæ non unum corpus, sed plurium veluti cumulus sunt) ut non ab extimis tantum primisque partibus lucem atque imagines reddant, sed ab intimis quoque et secretioribus corpusculorum, quibus constant, superficiebus easdem remittant. Ex quo fit, ut quæcumque tandem fuerit externarum partium dispositio, nihil obstat, quominus Iridis arcus a Sole producatur. In his enim si angulus A non invenerit in prima fronte partes, quas apte attingat et coloret, viam sibi ad intima faciet, invenietque ibi guttarum aliarum superficies, quas pingat: atque ita colores, qui ab externis reddi non poterant, ab internis reddentur. Non idem in corporibus continuis accidit, qualia sunt vitra, mare, stagna; quæ, cum una tantum atque extima constent superficie, ex ea sola reddere possunt imagines: ac proinde certa in his requiritur superficiei dispositio, ut ex illa regeri ad oculum imago possit; quando, nisi ex illa regeratur, nulla sit reliqua, unde hæc jactura compensetur. In corporibus autem non continuis, sed ex diversis corpusculis coalescentibus, si quæ primis excipiuntur imagines ad oculum*

(1) *Vedi la Postilla N° LXXXII.*

Digitized by Google

relabi non possunt, relabentur ex aliis; et Sol angulo A, quasi penicillo suam ducturus coronam, guttulas omnes pervadens, ultra primas etiam inveniet quod in primis non reperit. Verum nihilominus est, planum per Iridis circulum ductum directe semper oculo opponi; atque hoc fortasse Galileum decepit. At planum hoc non est superficies extima rarissimi illius corporis, in quo Iris formatur; sed illum sibi Sol ipse in tenerrimo atque obsequentissimo corpore, quacumque opus fuerit, radio describit ac pingit. Si ergo Cometæ materia rarum corpus est, nec continuum, sed multorum corpusculorum aggeratione compositum, quibus etiam perspicuitas adsit; cujuscumque tandem figuræ extima ejus superficies fuerit, inveniet angulus A, qua intus qua foris, partes quas attingat, et Cometam circinet. Hæc igitur plana materiæ superficies, eaque directe oculo opposita, inane prorsus commentum est, neque ad Iridem formandam requiritur, ac proinde neque ad Cometam.

Sed Iris *(inquit)* et Coronæ materiam requirunt aut Soli oppositam, aut eidem junctam; scilicet junctam Coronæ, oppositam Irides: Cometarum autem nullus, quod sciam, aut junctus, aut oppositus Soli unquam fuit.

Sed, si rem æqua lance pensemus, inveniemus profecto, oppositionem seu conjunctionem materiæ, respectu Solis, nihil plane ad rem facere; cum tota curvitatis illius ratio, in Iride et Corona, sola sit æqualitas anguli A, ex omnibus ejus circuli partibus constituti, ut Optici demonstrant. Si ergo adsit materia eidem angulo æquali semper in gyrum agendo, eadem semper in illo circulo reddetur imago; aderit autem, si Cometarum materia similis Halonum aut Iridum materiæ fuerit. Addo tamen, non temere saltem id asseri, Cometas scilicet aliquando aut soli junctos aut oppositos fuisse. De hoc certe nostro non desunt, qui Soli junctum, primo in exortu, natum asserant. Quin Auctor ipse Cometici discursus Soli quam proximum primo statuit, sed non visum ante, quam ab eodem digressus oriretur heliace. Præterea, quemadmodum Cometæ ubi a Sole mediocri abfuerint spatio, comam producunt in longum; ita fortasse, si quis alios crinitos undique atque in orbem comatos diligenter examinet, inveniet eosdem, quasi Soli oppositos, eo tempore fulsisse. Sic enim facilius Solis lucem in orbem remittunt, et cincinnos circinant.

Marina igitur aqua nihil mirum, si Iridem spectantibus non

Digitized by Google

ostendat: corpus enim continuum est, atque unius superficiei; quare non erat, cur ea mihi veniret in mentem, de corporibus non continuis, sed aggeratione multorum compositis, cogitanti ac disputanti.

Sed et illud addiderim, quo etiam falsum comprobatur Galilei dictum, quo asserit, ad Iridem producendam planam ac directe oppositam requiri superficiem. Illud, inquam, addiderim, circulum nihilominus a Sole describendum, si superficies directe illi opposita non plana, sed hemisphærica concava sit; tunc enim angulus A, circa axem DI circumductus, eamdem semper attinget superficiem. Neque igitur in corporibus rapidis ac raris, neque in solidis atque unius superficiei, necessaria est superficies illa plana, directe oculo ac Soli opposita; in raris siquidem superficies nulla certa requiritur, in solidis vero etiam hemisphærica, aut etiam sphæræ pars minor, aptissima est.

Examen XXVI.

Dixeram, ex Marii disputatione habuisse me, inania illa lucis simulacra a Sole producta eamdem cum Sole servare parallaxim: sed et hic, more suo, mentiri me, humanissimus alioqui Galileus, disertissime asserit. At ego revera tam mentior, quam ille verum enunciat. Nunquam *(inquit)* asseruit Marius, hujusmodi vana simulacra, si Halones excipias, eamdem cum Sole servare parallaxim. *Sed pronum mihi est, ex ea disputatione proferre, quo me omni mendacii suspicione absolvam. Quid enim illud est Galilee, quod iis verbis significatur:* Non è egli manifesto che l'Iride, chiamata da noi l'arco baleno, si vede in guisa opposta al Sole, che le linee rette, le quali dal centro di esso Sole per le viste dei riguardanti si stendono, vanno direttamente a ferire nel centro dell'istesso arco? E chi non sa che cotali linee, per molto che i riguardanti fussero tra di loro lontani, prodotte sino alla sfera stellata, intraprenderebbero la medesima parallasse, o insensibilmente maggiore di quella del Sole, la quale è nulla, mentre da'medesimi, che riguardano la stessa Iride fusse osservata? *Iridis ergo et Solis eadem hoc loco ponitur parallaxis. Mox de Parheliis.* Lo stesso avviene de'Parelj, cioè di quei tre Soli,

Digitized by Google

che talora con tanta meraviglia del volgo si sono veduti nel Cielo; i quali nel medesimo aspetto sono col Sole veduti, da tutti quelli che nello stesso tempo gli osservano da luoghi per molte miglia tra di loro distanti. *Idem ergo de Parheliis asseritur. De projectionibus autem solaribus radioris Cometae quam simillimis cum egisset, ita rem claudit.* Simile apparenza si sa che nel medesimo tempo è da diversi luoghi veduta, benchè per grande spazio distanti, o verso tramontana, ed a tutti nello stesso modo si rappresenta rincontro al sole. *Eodem igitur modo Solem respiciunt hujusmodi radiorum projectiones, quibuscumque e locis spectentur; quod est eamdem pati parallaxim. Quid vero de marina Solis imagine? cum hanc quoque eamdem diversis e locis spectatam dixisset, hanc addit coronidem.* Questi dovendo deporre ciò che hanno veduto, e non altro, tutti concordemente diranno aver nel tal tempo osservato un grandissimo lume verso la dirittura del Sole, e conseguentemente verso la medesima parte del Firmamento. *An non idem est, eadem in parte Firmamenti ab omnibus spectari, et nullam pati parallaxim, hoc est parallaxim Solis servare, quæ nulla est? En, ut mentitur Sarsius, en, ut vera enunciat Galileus!*

Nunc ad rationis meæ momentum veniamus, cui illud objicitur: Magistri scilicet mei observationes, etiam ipsius suffragio, exactas non esse, et minus proinde fide dignas; nihilque ex iis de parallaxi statui certo posse. Sed licebit, saltem mihi, tantumdem fidei observationibus iisdem habere, quantum vel ille habuit, qui ex illis inferri certo posse existimavit, non solum Cometam Terræ proximum non fuisse, sed ne sublunarem quidem. E finalmente il volerla mantenere uno abbruciamento, e costituirla sotto la Luna, è del tutto impossibile, repugnando a ciò la picciolezza della parallasse, osservata da tanti eccellenti Astronomi con diligenza esquisita. *Audin'quid ille dicat? Evinci igitur ex his observationibus potuit, Cometam sublunarem non esse. Atqui id unum ex iisdem inferri voluit Magister meus, ut Cometa supra Lunam statueretur. Nam locum postea inter Solem ac Lunam ideo illi tribuit, quia motus ejusdem Cometæ medius quasi inter utrumque, nec ita velox ut Lunæ, nec ita lentus ut Solis fuerat: quæ etiam ratio multum apud Astronomos valuit ad locum Planetis*

Digitized by Google

altioribus assignandum, in quorum dimensione parallaxis vires suas amplius exercere non poterat.

Age igitur, quando productis jam tabellis id evicimus, per vos inanium simulacrorum a Sole productorum eadem est parallaxis quæ Solis. At observationes, quas fide dignas, cum id vobis conduceret, esse voluistis, plerumque, quod satis est, majorem Cometæ parallaxim produnt, quam Solis: Cometa igitur inane spectrum a Sole non est.

EXAMEN XXVII.

Dixeram, experientia constare, inania hæc oculorum ludibria, Irides, Halones, Coronas et reliqua hujusmodi, et brevissimos habere vitæ terminos, et parvo temporis intervallo varias sese in formas mutare; nihil autem hujusmodi observatum in Cometa, qui dies plurimos, motu semper ac mole, certa proportione, decrescente, eadem figura ac specie constantissimum se præbuit. His illud objicitur, Solem Cometarum parentem diuturnum esse; quare, si diuturnior aliqua materia solaris luminis repercutiendi capax in Cœlo statuatur, ex qua deinde existat Cometa, hunc quoque fore diuturnum. Sic *(inquit)* Aurora quotidie rubescit, quod ejus materia perpetua sit: Solis in mari species, eadem ex causa, quotidie visitur.

Mihi sane dubium numquam fuit, an, si materia inanium simulacrorum constans fuerit, ipsa quoque simulacra diutius mansura sint: quia tamen quotidie experimur, perpetua illa esse, quibus materia perpetua est; quibus autem materia perpetua non est, sed vaga atque instabilis, his ne diuturnam quidem esse vitam, sed brevissimo tempore interire; cum constaret Cometæ materiam perpetuam non esse, reliquum erat, ut ne diuturna quidem foret: sic enim aurora, crepuscula ac marina Solis imago perpetua sunt, quod maria, stagna ac sphæra vaporosa materia constent non defectura. Iris, contra, Halones et Coronæ, quibus stabilis materia non est, ne diem quidem integrum vivunt, nec ullum umquam hujusmodi simulacrorum plures Soles videt, sed quo die, immo plerumque qua hora nascitur, eadem occidit. Cum ergo Cometa non auroræ, non crepusculorum aut maris perpetua constet materia,

Digitized by Google

sed Halones, Irides et Coronas imitetur; inter horaria is quoque reponendus erit. Quod si per multos fulsit dies, non inter vana simulacra numerandus erit; cum illa, quantum experimento didicimus, aut vivant perpetuo, aut vix nata occidant. Posse autem in Cœlo aliquid reperiri, quod diutius ad nos lumen a Sole acceptum remittat, nemo est qui neget. Sunt enimvero Planetæ omnes; sed hi neque ex vaporibus aut halitibus siccioribus constant, nisi et horum nos species fallit: quare et his similem ad tempus Cometam dixi.

EXAMEN XXVIII.

De Cometæ motu hic agitur; quæritur enim an Cometæ motus per lineam rectam et ad Terram perpendicularem progredi potuerit. Ubi, ut omnia paucis expediam, pono (quod extra controversiam est) hujus nostri Cometæ motum ultra verticem progressum ad Arcticum usque Polum pervenisse. Cum igitur quæreretur, quænam ratio aptior excogitari posset hujus motus explicandi; allatus est a Galileo motus perpendicularis ad Terram et rectus: sed motus hic, ipso, qui illum induxit, teste, ne ad verticem quidem Cometam perducit; ergo belle minus in rem nostram cadet. Atque hic erat quæstionis nucleus, quem nec potuit, nec poterit umquam infringere Galileus. Reliqua, nugæ meræ sunt et querelæ inutiles.

Dixeram, adeo certo constare, motum illum rectum ac perpendicularem satis non esse ad motum cometicum explicandum, ut cum is maxime vellet, dissimulare id tamen non potuerit; quam loquendi formam æquior aliquanto interpres ita vertat: quando ben anche l'avesse voluto dissimulare, non avrebbe potuto. *Sic enim nihil affirmatur de dissimulatione, quasi id ipsum dissimulare vehementer optaret, ut Galileus interpretatur.*

At quid tu, Sarsi, ut nos geometriæ plane ignaros ostendas, ea nobis falso adscribis, quæ ne cogitavimus quidem? illa nostra vox est: *Se la cometa si movesse di moto retto, ci apparrebbe muoversi verso il vertice.* Tu vero eundem, hoc motu incedentem, ad verticem tandem perventurum dixisse nos asseris: ergo qui dixerit nautas ad Polum navigasse, eos in Cœlum usque pervenisse, tuo judicio, dixerit.

Digitized by Google

Profecto, si discursus cometici verba attentius aliquanto excutiantur, constabit, non ineptam omnino mihi ex iis oblatam occasionem suspicandi, existimasse Galileum eo motu Cometam ad verticem pervenire potuisse; cum ibi, præter verba a Galileo citata, addatur illud, precisamente verso il nostro vertice, *quod ipsum verticem attingi potuisse significare videtur; quod etiam sequentibus verbis confirmatur:* il che non avendo ella fatto, ma declinato verso settentrione: *quasi diceret, at cum non præcise ad verticem venerit ibique constiterit, sed ulterius ad septentrionem progressus sit. Addo tamen, quia ex iisdem verbis non satis aperte illud colligi videbatur, ideo id a me, non quasi ipsius dictum, prolatum, sed quasi suspicionem meam; ut indicant mea illa verba examinis* 30 *« Verum ni fallor etc. »*

Dixerat præterea, et confessus ingenue fuerat is, qui motum hunc rectum et perpendicularem Cometæ tribuerat, non satis illum esse ad motum Cometæ explicandum; addendam propterea esse aliam causam. Ego vero, cum hujus verba referrem, non causam aliam, sed motum alium addendum dixi. Quare, Cur, *inquit Galileus,* cum causam aliam addendam diximus digressionis cometicæ, vocem illam *causam aliam* motum alium interpretaris, Sarsi?

Nempe, ut minime audenti animos adderem: satis enim apparebat quid vellet, quidve timeret; neque ulla mihi laus esse poterat divinanti in re manifesta. Prius enim is aperte dixerat: Quando la Cometa non avesse altro movimento che il retto e perpendicolare alla superficie del globo terrestre, cioè dal centro verso il Cielo, egli dovrebbe a noi parere precisamente indirizzato al nostro vertice. *Ubi illa verba* altro movimento *satis indicant quid tacite innuat, cum aliam postea declinationis ejus causam addendam asserit* (1). *Haud enim dubium, quin motum alium: id enim postea optatur, quo prius Cometam carere dictum fuerat; hoc est motus alius.* Quando la Cometa non avesse altro movimento.

Examen XXIX et XXX.

In 29 *Examine nihil impugnat Galileus; nihil igitur tuebor: in* 30 *autem ait, demonstrationem illam, qua ostenderam, Cometam*

(1) *Vedi la Postilla N° LXXXIII.*

Digitized by Google

perpendiculariter a Terra ad Cœlum sese inferentem ad verticem pervenire non posse, puerilem plane esse, quod solis Parallelarum definitionibus innitatur (1). *Sed, si hæc puerilia sunt, haud graviora multo illa erunt, quæ Examine* 40 *a Simbellatore afferuntur, quibus intelligendis vel ipsa superficiei definitio satis est. Jam summus ergo pares. Quamquam non inde existimo demonstrationum pondus pensandum esse, quod e reconditis ac difficillimis pendeant; quin potius tunc sibi quisque geometrarum felicius aliquid demonstrasse videbitur; cum ex ipsis principiis, Naturæ lumine notis, id evicerit.*

Unum addit Galileus, quo sibi fortasse non parum placuit; cui tamen assentiri non possum. Si Cometes *(inquit)* ex ipso mensoris loco in Cœlum perpendiculariter feratur, tunc demum ad verticem perventurum affirmo. *At si vim vocis illius* perventurum *Simbellator expendat, intelliget id, quod uno in loco nascitur, non dici ad illum pervenire. Motus ergo, ab ipso vertice mensoris exorsus, semper in vertice fuit; non ergo pervenire dicetur ad verticem.*

EXAMEN XXXI.

Quid hic non tentat, quid non molitur Simbellator, ut veritati fucum faciat? Sed facile est illam nitori suo restituere. Nunc igitur, quod permagni interest, statuamus quid illud sit quod quærimus. Cometa per dies ferme 20 *quotidie, in suo circulo magno, tres circiter gradus percurrisse visus est. Quærebatur jam, num per motum illum rectum et ad Terram perpendicularem, nullo alio motu addito, salvari potuerit hic aspectus. Et quoniam statuendus, exempli gratia, locus aliquis fuerat, tum unde hic rectus vaporum motus inciperet, tum etiam unde Solis lucem ad nos primo remitterent, et Cometam producerent; posueram ascensus primi locum Roma dissitum grad.* 60, *plagam autem, unde se nobis in Cœlo aperuit, remotam a Terra semidiametris ejusdem Terræ* 32. *Sed exemplum hoc plus nimio rebus meis accomodatum asserit Galileus, utramque distantiam immanem nimium queritur, et*

(1) *Vedi la Postilla N° LXXXIV.*

Digitized by Google

breviorem reposcit. Ego igitur, ne querelarum ansam posthac arripiat, affirmo, nullam reperiri posse distantiam, sive ascensus primi e Terra, sive primi aspectus in Cœlo, qua rectus hic et perpendicularis motus Cometam oculis nostris tres quotidie gradus, per dies multos, percurrentem ostendat. Satis ne hoc aperte dictum? Hic saltus, hic Rhodus. Placet tamen etiam singula refutare, quæ causæ prætexit Simbellator.

Nam quoniam ejus figuram examinandam dixeram, me quasi ridiculum geometram circino figuras metiri voluisse asserit. At ego figuras quidem expendendas existimavi, non tamen circino, sed, quod geometrarum est, trigonometricis rationibus; quas si Galileus adhibuerit, inveniet a vero me nihil aberrasse.

Noveram præterea, non easdem ubique motus cometici fore diversitates; et, si Terræ proximus statuatur, futurum, ut magis inter se differant singulorum dierum motus, quam si ponatur remotior. Noram tamen etiam, numquam exiguas esse posse horum motuum differentias, ubi motuum diurnorum quantitas tres integros gradus per multos dies compleat. Verum quidem est, incedente per lineam illam perpendicularem Cometa, futurum aliquando, ut diei unius incessus ab incessu alterius proximi parum differat: at id continget cum singulorum dierum motus perexigui fuerint; non autem dum trium graduum iter expleverint. Quamvis ergo variæ accidere possint apparentium Cometæ motuum diversitates, prout is remotior aut vicinior mensori ac Terræ fuerit; numquam tamen ac nusquam fiet, ut Cometa per illam rectam lineam incedens diurnum motum graduum trium per dies multos constanter servet; quod nostro Cometæ contigit. Frustra igitur breviores distantias requirit Galileus, quando nulla assignari potest huic trium graduum constanti motui explicando apta. Mihi sane, cum sæpius id tentaverim, numquam contigit invenire. Galileo igitur, artis hujus magistro, libens volensque permitto, assignet in Terra cometici ascensus initium, ejusque primo fulgentis a Terra distantiam, quibus trium ille graduum quotidianus decursus aptetur. En igitur, ut veritatis æstu flos ille logicæ excoctus elanguit, et terræ afflictus interiit! Sic enim ipse existimavit, Sarsii argumentum facile ab eo retorqueri posse, qui vel florem olfecerit Logicæ. At ego ne ab eo quidem id præstari posse existimem, qui Logicæ etiam

Digitized by Google

fructum glutierit. Sarsii argumentum distorquere Galileus potest, retorquere non potest; quando, sive exigua sive magna ea ponatur distantia, numquam fiet ut motus cometici periodo accomodetur. Ego certe ejus arbitrio permitto, præscribere cursus cometici carceres et metam. Quare, his ita explicatis, si jam me interroges, Galilee: Ma, signor Lottario, se l'avversario dirà, che la Cometa non era tanto lontana a molte migliaia di miglia, e l' osservatore parimente assai più vicino, che farete voi del vostro sillogismo; che ne concluderete? *Vis dicam quid illaturus sim? dicam mitissime: inferam te non ita memorem esse. In vigesimo Examine e Sinarum Regno, aut minimum e Perside, Cometæ materiam ascendisse volebas. Sinenses autem quadrante toto Roma distant, Persæ sextante: nunc sexaginta graduum distantia tibi nimis ampla videtur. Præterea in orbe cometario, a Terra dissito passuum millibus 470,000, tunc, ex me, Cometam reponere placuit; nunc multo viciniorem Terræ statuis: vides, credo, valicinium meum eventu jam probatum. Libet hoc loco et illud iterare: O miram loquendi juxta, ac sentiendi libertatem! o ductilem, o ceream Philosophiam!*

Sed age, si, ut libet, vicinius multo Romæ fuerit cometici ascensus initium, multo igitur remotius erit ab Indis. Sed illis eadem quotidiani motus constantia visa est: fac igitur illorum, non meum, illud esse argumentum; quænam supererit evadendi via?

Male denique nos quoque adversus Aristotelem egisse pronuntiat, quod illo reclamante Cometam Lunæ proximum statuerimus, atque inde postea immensam ejus magnitudinem intulerimus: cui, si flamma fuisset, ne tota quidem Tellus sufficere pabulum potuisset. Sed plane fallitur Galileus. Magistri mei argumentum hoc fuit: si Cometa flamma est, Terræ proximus esse non potest, cum hoc parallaxis exiguitas ac motus diurnus (id quod alii ante Galileum observarunt) aperte demonstret; sed Lunæ saltem quam proximus statuendus est: at si a Luna non longe absit, molis immensæ futurus est, et cui pabulum a Terra suffici nequeat. Non igitur jam liberum est Aristoteli reclamare, et Cometam elementarem flammam dicere, quando parallaxis evicit oppositum, annuente etiam Galileo, cujus sententia Cometa, si flamma sit, ex parallaxi ne sublunaris quidem esse permittitur. Si quid igitur intulit magister meus, ex datis et prius probatis intulit.

Digitized by Google

EXAMEN XXXII ET XXXIII.

Nihil hic morabor. Quid de Terræ motu Copernicano noverim, quidve nosse etiam possim, non est hic opus exponere. Quod sentire non licet, ubi nulla urgeat necessitas, nec loqui libet. Quod ad dispositionem cometicæ materiæ spectat, in qua rem omnem positam asserit Galileus, ipsius, per me, cura sit illam statuere.

EXAMEN XXXIV, XXXV ET XXXVI.

Cometicæ curvitatis causam, in refractionem in sphæra vaporosa factam, referendam dixerat Galileus: adversus hoc dictum nihil primum ab eo hoc loco prolatum dixeram, quod Keplerus ante non vidisset et scriptis consignasset. Qua in re fateor errasse me, simili dictorum specie deceptum; neque adeo prolatæ semel vocis tenax sum, ut, ubi lux aliqua erranti affulserit, non resipiscam, et in castra protinus transeam veritatis. Sed non in hoc cardo vertitur quæstionis (1). *Sit sane Galilei, non autem Kepleri, vox illa, quæ curvitatem caudæ cometicæ in refractionem sphæræ vaporosæ referendam affirmat; veritas interim exquiritur dicti, non auctor expetitur. Affirmo igitur, Marii demonstrationem geometricam puram, ac necessariam esse, si secundum se consideretur, et si sphæra vaporosa rotunda utcumque statuatur, et Cometæ curvitas tunc solum observata sit, cum is ad horizontem maxime inclinatus plures verticales intersecaret. Nullum tamen horum certum videtur, ut ex iis quæ in Libra proposui videre est. Neque video, quam jure fidem nostris observationibus denegandam affirmet; cum eo tempore editæ sint, quo nulla futuri hujus certaminis suspicio inerat. Addo etiam, alterius Cometæ, seu Trabis, figuram eadem ratione explicari non ita facile posse: illa enim duplici flexu curvata, cum totum sinum plicaret ad Terram, summa tantum parte revolvebatur in Cœlum, et palmæ seu barbaræ machæræ figuram simulabat: ut mirari quis merito possit, utriusque flexuræ eamdem vaporum rotunditatem causam esse potuisse* (2). *Scio tamen fieri etiam posse, ut, per convexam vitream lentem rectam virgam inspicienti, eadem partim ad*

(1) *Vedi la Postilla N° LXXXV.*
(2) *Vedi la Postilla N° LXXXVI.*

Digitized by Google

Terram, partim ad Cœlum curvari videatur; sed opposito prorsus modo id eveniet: ima enim pars in Cœlum, summa flectetur ad Terram; at in Cometa, in Cœlum summa pars, ima curvabatur in Terram.

Præterea, non ita libere affirmari posse, vapores ubique Terræ sphærice circumfundi, non ex Astronomiæ tantum magistris, quos Galileus non audivit, sed ex magistra rerum experientia, immo ex ipso Simbellatore deducitur. Ab experientia illud habetur, nubeculas sæpe candidas, vel media in nocte, vertici fere imminentes videri, etiam in noviluniis; quas propterea multis a Terra leucis distare necesse est, ut Solem aspiciant: quod ne Simbellator quidem neget; quin potius addat, halitus tenuiores ultra sphæram hanc vaporosam in summa elevari ac suspendi non semel, immo perpetuo; atque ex his Cometas quamplurimos fortasse gigni, quos, utpote minutiores ac brevioris vitæ, non advertimus. Auroram etiam illam borealem, solarium præterea macularum materiam, perpetuum voracissimæ flammæ pabulum, ab universo subministratum. Hæccine lævem, tornatam æqualemque vaporum sphæràm efficiunt? Cum ergo quærit ex me Galileus, quis ille sit, qui vaporosam sphæram alicubi altius quam alibi elevari affirmat, se consulat; inveniet apud se fortasse unde ista deducat. Interim norit Galileus, mihi in hac pugna nec labra contusa, neque usque adeo comminutos esse dentes cæstibus (ut ipsi fortasse videtur) suis, nihil ut jam reliquum sit quod expuam: ac, nisi severior modestiæ lex mihi præscripta provocatas strangulare argutiolas juberet et jocos, non esset etiam nunc mihi difficile, alieno malo risum ab Lectore mercari. Sed jam cum Simbellatore ad 37 Examen propero.

Examen XXXVII.

Illud mihi primum, hoc loco, Galileo in memoriam revocandum video, quod ipse, seu studiose seu negligenter, ut alia multa, mea in Libra præteriit: inde enim omnium ferme reliquorum examinum pendet solutio. Ego quippe, nonnullas hujus viri positiones revocaturus ad Libram, illud ante præmiseram, nihil minus ibi velle me, quam pro Aristotelis aliorumve placitis decertare; viderent alii, vera ne an

Digitized by Google

falsa ea essent; satis mihi futurum si ostenderem, admotas a Galileo machinas minus firmas ac validas fuisse, ictus irritos cecidisse. Noram enim pleraque eorum, quæ in Aristotele reprehenderentur, magnis revera premi difficultatibus, ex quibus evadere haud ita facile quisquam possit; quædam etiam, ex iis quæ nuper telescopii beneficio vidimus, tantum ponderis amisisse, ut pro falsis plurimum habeantur. Non erat proinde animi mei illa mordicus tueri, quorum in fide jam fluctuans, aut ab eadem plane jam profugus idem animus dissidebat. Fuerit igitur instituti mei id unum ostendere, rationes nonnullas adversus Aristotelem aliosque a Galileo allatas nihil prorsus habuisse ponderis, ac proinde, nisi potiori impulsu decidant, stare adhuc illorum dicta inconcussa, neque in posterum amplius casura. Hæc tu amica, lector, memoria serva. Advertes enim plerumque Galileum id unum conari, ut Aristotelis dicta falsa demonstret: qui labor frustra suscipitur, dum id unum quæritur, an ratio adversus illa a Galileo allata valida sit. Nunc singula expendamus.

Dixerat Aristoteles, Cometas tunc produci, cum elementaris altior regio plurimum haberet exhalationum; cum enim omnis illa regio Cœli latione raperetur in gyrum, illo motu attenuati halitus illi simul incendebantur, et Cometas formabant. Negaverat Galileus fieri id posse: primum, quod Cœlum, utpote lævissimum ac politissimum, tenues adeo substantias secum rapere in gyrum non posset.

Hic ego, quamquam Cometas nec flammas esse, neque Cœli latione rotari satis intelligam, falsum nihilominus esse dixi, lævibus ac politis corporibus aerem atque exhalationes non adhærescere; quod, si adhæreant, rapi etiam ad eorum motum necesse erit. Quid hic Galileus? Numquam asseruimus *(inquit)* lævibus ac politis corporibus ignem aut aerem non adhærescere. *Quid ergo illud est:* E di più, essendo l'esalazione di sostanza tenue e leggiera non inclinata per sua natura ad altro moto che al retto, ella non sarà rapita dal semplice toccamento della tersa e liscia superficie del suo continente; chè così ne dimostra l'esperienza. —*? Si ergo sequacitas nulla admittitur exhalationum ignearum ad Cœli motum, utpote lævissimi, nulla quoque tenacitas aut adhæsio admittetur; quidquid enim adhæret alteri, ad ejus quoque motum moveri ne-*

Digitized by Google

cesse est: ac propterea qui sequacitatem negat, adhæsionem etiam consequenter tollit (1).

Sed et illud addiderat Galileus, cœlestibus corporibus, utpote nobilissimis, non lævem solum, sed sphæricam (quæ nobilissima est) figuram deberi; ac proinde lunari concavo et rotunditatem et lævorem tribuendum; quod dictum cum explicarem, subdidi: Numquid ergo Galileus homines, Cœlo longe nobiliores, idcirco teretes atque rotundos optabit? quos quadratos potius requirit sapiens.

Hic, Lunari concavo rotundam ac lævem superficiem non ex meo sensu, *inquit*, optavi; sed id Aristoteli, ex ipsiusmet dictis, objeci. Non erat igitur, cur hoc Sarsius dictum, quasi meum, carperet; quando ejusdem Sarsii vox est, nihil, ex Galilei systemate, in Cœlo solidi inveniri.

Sit ita sane. At ego dictum illud, qua Aristotelis est, nihil Aristoteli obesse jam ostendi. Lævor enim atque æqualitas cœlestium corporum ideo ab eo exigitur, ut Cœli unius motus alterius alio conversi cursum ne remoretur: hoc autem in lunari concavo locum non habet; cum hoc, fluida omnia ac sequacia continens, hoc est regionem elementarem, nullam suo motui moram vereri habeat ex illa superficiei asperitate atque inæqualitate. Sed me potior nunc petit machina.

Quæris, Sarsi, si quis lunari concavo lævitatem æqualitatemque denegavit, qua via contrarium suasurus sit Galileus. Audi igitur id ex eodem, si placet. Ego quippe id constanter assero, lævissimam æquissimamque lunari concavo deberi superficiem, si materia solida constet atque a sublunari distincta; si enim sinuosa atque aspera fuerit hæc superficies, non diu sibi, nec forma nec loco, stellarum constabunt imagines; quæ, dum ad nos per asperam defluerent superficiem, innumeris pene modis mutari necessario cogerentur: ut accidit, cum, per inæqualia fenestrarum vitra, externa intuemur objecta, quæ, ad omnem oculorum motum, et locum mutant, et formam. Cum ergo hujusmodi mutationes non observentur in stellis, nihil in Cœlis asperum, oculos inter ac sidera, explicari dicendum est. Hic tu quid ais, Sarsi? Sudandum enimvero tibi est: meum hoc dictum est, non alterius cujuspiam; recens ac novum, non senio ac situ ob-

(1) *Vedi la Postilla N° LXXXVII.*

Digitized by Google

soletum et plane subrancidum. Hanc tu, si vales, machinam dirue: evade, si potes (1).

Papæ, quid hoc rei est? Galileus, qui nihil hactenus certo asseruit; qui conjecturas tantum protulit, non sententias: signatis adeo verbis, nunc demum, ac tam diserte pronuntiat? Bene est; non ero igitur posthac mentitus, cum hanc illi sententiam adscripsero. Ego interim non diserte minus assero, si semper idem sentiat Galileus, asperrimo quamvis lunari concavo, nullas in stellis observari posse locorum mutationes: idque a me nullis ambagibus, more majorum, sine fuco ac fallacia dictum volo. Satin' aperte? Ad Examen vigesimum secundum redeamus. Ibi Galileus adversus eos, qui ex orbium cœlestium excentricitate, ac multitudine epicyclorum, immanes stellarum refractiones inferebant, hæc habet: La grandezza di essi orbi, quando ben tutti fussero diafani tra loro diversissimi, non permetterebbe alcuna refrazione agli occhi nostri, come riposti nell' istesso centro di essi orbi. *Tot igitur excentricorum, epicyclorumque multitudo non alio distrahet stellarum species ac radios, sed ad oculos, si Galileo credimus, perpetuo fidelissime transmittent. Fac ergo concavi lunaris superficiem ita sinuosa undosaque superficie constare, ut partes tum prominentes, tum abscedentes introrsum* (Tab. IV, Fig. IV) *lunaris epicycli A servent sphæricitatem; tuberosa profecto futura tunc est ea Cœli superficies, atque inæqualis: nulla tamen inde stellis continget refractio; quando cavitates illæ ac prominentiæ ad lunaris epicycli formam cusæ sunt, ex quo nullam stellarum radiis refractionem provenire posse, tam, scilicet, apte demonstravit eo loco atque examine Simbellator. Hanc tu, si vales, machinam dirue: evade si potes. Ergo ne, Galilee, Cœlorum excentricitas, epicyclorum multiplex ac varius incursus, nullas modo refractiones tibi paritura videbantur; nunc vero quæcumque inæqualitas, ad quam longe minor sequatur radiorum inclinatio, refractiones immanissimas parit? Hoc est camelum glutire, excolare culicem* (2).

Sed quoniam argumentum hoc adversus Galileum ex ipsius tantum dictis vim habet, cætera nullum; efferam quid ex me, dum Peripateticum ago, respondere possim. Principio igitur ais, si quis

(1) *Vedi la Postilla N° LXXXVIII.*
(2) *Vedi la Postilla N° LXXXIX.*

Digitized by Google

eam solam in Cælo asperitatem admiserit, quæ iis partibus constet quas ipsa longinquitas spectantibus insensibiles efficiat, nullas inde refractiones producendas. Idem in fenestrarum vitris continget, si partes prominentes ipso spectantis abscessu insensibiles evadant, si cætera perspicuæ sint.

Sed demus etiam, longe majoribus attolli montibus, deprimi vallibus concavi lunaris superficiem: nullæ tamen inde refractiones provenient. Hoc ut apertius fiat, meminerit Galileus, Peripateticum me hoc loco agere; hujus autem scholæ hanc, inter cæteras, vocem esse: Cælum quintam quamdam essentiam esse, ab inferioribus hisce natura et conditione diversam: addo ego purissimam et defæcatissimam, ita ut, dura licet ac solida, nullas radiis ac speciebus moras injicias (1). *Hæc igitur luci se omnino perviam ac facilem præbet, nihil ab illa, publicanorum more, pro traductione pulcherrimæ mercis exigit; uno verbo Cæli substantia, utpote purissima ac maxime perspicua, refractionum capax non est. Sed quid ego me hoc loco Peripateticum agere affirmo? Galilei ipsius dictum exposui: annon is supra, examine vigesimo primo, cum quæreret, unde nam Cometæ coma existeret, quam ex refractione luminis ortam plerique contenderent, hæc habet:* Qui non si può dire che la refrazione si faccia nella sostanza dell' etere, la quale, come diafanissima, non è potente a ciò fare. — ?

Jam idem sentire Peripateticos de Cæli substantia existimet Simbellator. Satis enim intelliget, si Cæli substantia incapax refractionum sit, cujuscumque tandem figuræ ea fuerit, seu inæqualis seu plana, stellas semper nobis fidelissime ostensuram: sive igitur leviter aspera, sive etiam montibus ac vallibus inæqualis lunaris concavi superficies fuerit, nullam cognatæ luci moram faciet, sed quasi gradientem in suo libere ac celerrime vagari permittet. Quidquid autem lunari concavo proxime continetur, ex nostrate licet constet materia, et proinde hac ex parte specierum refractionibus sit obnoxium, rarum tamen adeo ac tenue, ut nullam unquam sensibilem parere refractionem possit, ne in obliquissima quidem radiorum inclinatione. Cum ergo cælestis substantia lucem sistere apta non sit, utpote purissima et summe perspicua, corpus vero contentum, tenerissimum rarissimumque, nihil amplius habeat vi-

(1) *Vedi la Postilla N° XC.*

Digitized by Google

rium eidem luci remorandæ; sint licet horum corporum inæquales superficies, nulla stellarum continget refractio. Videat nunc Galileus, quam pacate, nullo labore, sudore nullo, siccus plane atque indefessus, machinam illam evaserim, qua mihi fugiendi vias omnes interceptas existimavit.

Quam ergo mihi hoc loco principii petitionem objicit? Illa mea sunt: Lunæ concavum asperum esse potest, quia nulla ratio oppositum persuadet. Nam quidquid Cœlis aliis asperitatem negat, illam huic permittit; neque enim verendum est, ne corporis contenti tactu aspero Lunaris orbis motus impediatur; quod unum reliquis orbibus lævorem atque æqualitatem tribuendam ostendebat. Hanc ipse rationem subticet; id producit, quod, non quasi rationem, sed veluti corollarium protuli; inique agit. Objicit denique, ex illa lunaris orbis asperitate varias stellarum refractiones consecuturas: ego nullas sequi posse jam ostendi, quod Cœli substantia, lucis quodammodo consanguinea, et maxime perspicua, incapax sit refractionum. Appendix autem, et quasi corollarium dictorum est, cum additur, si talis admittatur asperitas in lunari concavo, melius servari corporum omnium nexum; dum ea ratione superiorum motu inferiora cientur. Asperum ergo licet Cœlum sit, non ideo deformes ad nos stellarum ferentur imagines, non dissilient ad oculi motum, nec choreas agent; sed suis legibus movebuntur.

EXAMEN XXXVIII.

Levia quædam toto hoc examine sparsim continentur; diffanda sunt tamen. Primum igitur, quoniam Aristoteles nibilissimam figurarum omnium rotundam dixerat, hic Galileus nusquam se figurarum historias legisse asserit, neque sibi proinde tutum esse, de earum nobilitate quidquam statuere. At si Mundi legisset annales ex Moyse, creata primum a Deo Cœlum et Terram invenisset, atque hæc quidem rotunda et sphærica, cum et gyrum Cœli circuisse tunc se, et in orbe Terrarum lusisse divina Sapientia non semel affirmet (1). *Videt igitur figurarum omnium antiquissimam rotundam esse, quod primum in nobilitate pensatur; sed et omnium amplissima est, quod est alterum nobilitatis caput; summam enim*

(1) *Vedi la Postilla N° XCI.*

Digitized by Google

laudem ac splendorem rebus parit amplitudo. At figurarum omnium isoperimetrarum, hoc est quæ æqualis circuitus sunt, capacissima atque amplissima est circularis et sphærica: ergo et hoc nomine nobilissima. Tertio, quo quid simplicius est ac certum magis, eo etiam, cæteris paribus, censetur nobilius; at, figuras inter omnes, circularis aut sphærica simplicissima est minusque variabilis (cum hæc unica tantum superficie, illa unica linea constet, nullamque in figuræ ratione variabilitatem admittat): ex his igitur, aliisque, constat, figurarum nobilissimam rotundam esse (1).

Cum autem dixisset Galileus, sive suo, sive alieno e sensu, cælestibus corporibus, utpote nobilissimis, rotundam deberi superficiem ac lævem; objeceram Solem ac Lunam, Cœlis ipsis nobilissima corpora, non tamen lævi æqualive superficie, sed aspera; nihil proinde mirum, si Cœlo, hoc est corpori nobili minus, asperitas permittatur. Hic ille: Ergo, quia pisces squamis abundant, pari ratione inferet Sarsius, mare quoque universum squamosum esse debere. *Ubi non semel errat Simbellator. Primo quidem, quia mari ac piscibus nulla assignatur communis causa squamositatis, ac propterea non potest ex squamosis piscibus squamosum etiam inferri mare. In Cœlis autem et sideribus communis causa rotunditatis ac lævitatis assignatur nobilitas; ex quo fit, ut, cui maxime nobilitas competit, rotunditas ac lævitas maxime etiam convenire debeat* (2). *Valet igitur, si causa rotunditatis est corporis nobilitas, ex pari nobilitate parem quoque rotunditatem Cœlis ac sideribus tribuere. Nulla autem communis causa squamositatis, ut ajebam, piscibus ac mari affertur: ergo neque utrique squamositas tribuenda. Secundo, errat etiam in eo non mediocriter, quod, cum argumentum meum a minori ad majus procedat, ipsius consequentia, e contrario, a majori progreditur ad minus. Meum illud est: si Cœlum rotundum ac læve est, quod tamen veluti currus est Solis ac Lunæ; quanto magis hæc ipsa sidera lævorem istum requirent, cum hoc ipso vehantur curru, ac propterea nobiliora censeantur? Galileus contra,* Ergo, *inquit,* quia pisces squamosi sunt, mare quoque squamosum erit. *Nego consequentiam: neque enim quod nobiliori tribuitur, ignobiliori quoque*

(1) *Vedi la Postilla N° XCII.*
(2) *Vedi la Postilla N° XCIII.*

Digitized by Google

tribuendum est; nobiliores autem mari pisces sunt. Ego sane, non quia Sol rotundus ac lævis sit, intuli læve et Cœlum; sed contra, quia Cœlum, ideo Solem. At Galileus, quia squamosi pisces, ideo intulit et mare. Bis igitur in hoc ridiculo risum, sed de se, movet (1).

Quod autem hoc loco iterum de refractionibus stellarum innuitur, ex inæqualitate lunaris concavi, satis id superque superiori examine refractum est.

Negat præterea dictum a se unquam, stellas forma rotunda non esse; quod a me quasi dictum illius allatum fuerat. Quid ergo illud est in Nuntio Sidereo: Stellæ fixæ peripheria circulari terminatæ nequaquam conspiciuntur, sed veluti fulgores quidam radios circumcirca vibrantes, atque admodum scintillantes; consimili tandem figura præditæ apparent, cum perspecillo, ac cum naturali intuitu spectantur (2). *Si ergo semper nulla circulari peripheria terminatæ conspiciuntur, cur eas sphæricas dixeris? Præterea eodem loco asserit:* specillum accidentales fulgores a stellis auferre, sicque illarum simplices globulos, si tamen figura fuerint globosa, augere (3). *Si ergo de stellarum rotunditate certus fuisset Galileus, nihil erat cur de eadem ambigeret hoc loco; ambigit autem dum ait,* si tamen figura fuerint globosa. *Ne igitur hæc a se unquam neget dicta, aut indicata saltem tacite, quæ cuique obvia jam sunt, et posterorum memoriæ, typographorum opera, consignata.*

Præterea, quoniam in Epistolis de Maculis solaribus inter cætera id quoque asserit Galileus, posse corpus solare solidum, ad motum tenuissimi corporis circumfusi, hoc est æthereæ substantiæ moveri; intuleram ipse: ergo multo facilius ad Cœli solidissimi motum rapietur inclusum corpus tenuissimum atque rarissimum, hoc est sphæra elementaris cum usu atque experientia constet, solidis ac duris difficilius motum imprimi, quam liquidis et tenuibus (4). *Mare enim atque aerem vel levis aura commovet; saxum vero ingens, quamvis libratum atque suspensum, non nisi validissimis flatibus agitatur: si ergo Sol, durus ac solidus, tenuissimi ætheris affusi motu cietur, multo facilius elementaris regio, tenuissimæ*

(1) *Vedi la Postilla N° XCIV.*
(2) *Vedi la Postilla N° XCV.*
(3) *Vedi la Postilla N° XCVI.*
(4) *Vedi la Postilla N° XCVII.*

Digitized by Google

corpus substantiæ, durissimi Cœli motibus rapietur in gyrum. Hic exilit Galileus; nec satis (quod pace illius dictum velim) intelligens quid dixerim, Ergo, *inquit,* pari ratione concludet Sarsius, quia navis ad fluminis rapitur motum, ita quoque stagnum aut fluvium ad navis motum rapiendum. *Sed neque hic nostrarum illationum dissimilitudinem advertit Galileus. Ego sane a minori argumentabar ad majus, a majori ipse ad minus. Mea illa sunt: Ætherea substantia continens, sed subtilissima ac tenuissima, hoc est nullis pene ad impellendum viribus, solare corpus contentum, sed solidum ac durum, hoc est minus mobile, rotat tamen in gyrum ac rapit: ergo multo facilius Cœlum, quod et ipsum continens est, sed durum ac solidum, hoc est magnis ad impellendum viribus, exhalationes contentas et tenuiores, hoc est facile mobiles, secum suo motu distrahet* (1). *Hæc ego: at Galileus sic:* Fluvius, liquidum corpus et continens, contentam navim, hoc est solidum corpus, suo impetu deorsum trahit. *Bene hactenus habet: recte æthereæ substantiæ rapienti fluvius et ipse rapiens; rapto autem Soli navis opponitur: atque ut illic ætherea substantia continens est, Sol vero contentus; ita hic continens fluvius, contenta est navis. Sed perge ac vide jam quid Cœlo continenti atque exhalationibus contentis opponas :* Ergo navis secum suo motu stagnum rapiet. *Navim tu Cœlo continenti assimilas?* (2) *at navis respectu stagni contenta est. Mihi semper quod movet continens est, quod movetur contentum. Tibi vero, primo, quod movet continens est, hoc est fluvius; mox iterum quod movet contentum, hoc est navis: sic etiam, secundo, quod rapitur contentum, hoc est navis; mox etiam quod rapitur continens, stagnum videlicet. Nulla ergo parte illationi meæ tua se similem probat: nihil ergo mirum, si nulla sit.*

Quidquid autem sit de iis, quæ postea subduntur, de motu solidorum ac liquidorum: solida videlicet diutius impressum servare motum quam liquida: quamvis hæc facilius, difficilius illa eumdem concipiant, affirmo, nullum inde rationibus meis detrimentum provenire. Esto enim; liquida, qualis est aer atque exhalatio, tamdiu solum motum retineant, quamdiu moventi juncta sunt: ergo, si

(1) *Vedi la Postilla N° XCVIII.*
(2) *Vedi la Postilla N° XCIX.*

Digitized by Google

numquam absit movens, movebuntur perpetuo. At nunquam ab elementari regione Cœlum movens abest: non erit igitur verendum, ne forte obdormiscente motore exhalationes pariter conquiescant. Concentum enim Cœli quis dormire facit?

Sed sicuti ad navis motum *(inquit Simbellator)* velum tantum illud aqueum fertur, quod navim proxime lambit, reliqua autem aqua resistit; ita ea tantum exhalationum pars Cœli motu rapietur, quæ Cœlum proxime contingit, immotis ac quiescentibus reliquis. *Non ita erit, Galilee; sed ad Cœli quidem motum proxima tantum corporis contenti pars rapitur, at vero ad hujus quoque prioris partis motum adnexa ipsi alia feretur pars; mox etiam alia atque alia, quamvis motu semper tardiore, rapietur, ubi primum sui distensione atque deflexione vim rapientis eludere ulterius nequiverit. Nam si ad solidi Cœli motum pars exhalationum, hoc est liquidi corporis, proxima fertur, necesse erit ad hujus prioris exhalationum partis lationem agi illi proximam alteram; magis enim etiam, Galileo teste, liquidum liquido adhæret, quam liquidum solido atque arido:* che non è credibile, che l'aria aderisca meno a una superficie umida, che a una asciutta. *Quod si major, aut certe par adhæsio est duorum liquidorum ei quæ liquidi ac sicci, major erit adhæsio partium exhalationum inter se, quam exhalationum ac Cœli* (1). *Si ergo ad Cœli motum prima exhalationum pars fertur, ad hujus etiam primæ lationem secunda rapietur; atque ita de reliquis. Quoniam tamen id habent liquida, ut distendantur facile atque densentur, non æquis passibus partes omnes ferentur, sed, quanto a Cœlo rapiente magis abfuerint, tanto etiam tardius agentur. Hæ enim, quamdiu nonnulla declinatione, distensione aut contractione Cœli vim rapientis eludunt, dum etiam nonnunquam Solis aliorumque Planetarum occulta vi rarescunt, alioque distrahuntur quam quo rapiuntur Cœli motu; non æqua omnes feruntur celeritate. Argumenta autem Galilei tunc solum vim aliquam haberent, cum quis Cœlum universamque elementarem regionem Cœlo contentam eadem velocitate moveri affirmaret: id autem, quod sciam, nemo asserit. Esto igitur; tamdiu motum servent, quamdiu moventi adhæserint: elementaris ergo regio,*

(1) *Vedi la Postilla N° C.*

Digitized by Google

qua ex parte Cœlo sese moventi semper adhæret, ea ergo parte movebitur semper; huic autem parti pars alia proxima non minus nectitur; hujus ergo et illa motum, tardius licet, assequetur. Ita tertia atque aliæ pone sequentur, quamquam non passibus æquis. His igitur Galilei argumentis nihil adhuc Aristotelis doctrinæ detrimenti accidit.

EXAMEN XXXIX.

Quoniam de solidorum ac liquidorum adhæsione agebamus, quærit hoc loco Galileus, quid adhæsionis nomine intelligi velim. Ajo igitur, illum me nexum corporum intelligere, quo fit, ut neque alterum ab altero omnino separari, neque, contactu manente, moveri alterum, altero omni ex parte immoto, possit; atque adhæsionem hanc inter duo liquida maxime, semper etiam inter liquida ac solida, nonnunquam etiam inter solida tantum, sed rarius, reperiri. Quod igitur ad rem nostram attinet, solida inter ac liquida semper reperitur hic nexus. Ita nunquam in mari navis movebitur, quin ad ejus motum aquæ pars proxima moveatur, quocumque tandem motu navis agatur.

Sed quid, quod illud ipsum velum aqueum navi proximum, quo illa quasi primo vestitur, in ipso cursu, alterius adventu aquæ, perpetuo mutatur? Non ergo aquæ illa pars navi proxima ita navi adhæret, ut ab ea avelli non possit. Nam si quis naviculam vino oblitam in mare propellat, vix quingentis passibus emensis, absterso penitus mero, abstemiam sese olfacientibus exhibebit, et meras redolebit undas. *Sed, quin tu pergis, Galilee, ac majora etiam addis? longo scilicet undarum affrictu piceum etiam tegumentum abstergi, ergo ne illud quidem navi adhærescere? mox etiam, absterso pice, extimas tabularum partes exedi, ergo neque illas tabulis reliquis adhæsisse*(1)? *Ego vero intulerim potius, si quingentos atque amplius passus in mari cymba sulcavit antequam vinum dilueret, non igitur perpetuo mutari vestem illam, aut velum, cui exuendo satis futurum erat spatium cymbæ longitudini æquale. Quin potius, vi multa opus fuisse ad vinum illud*

(1) *Vedi la Postilla N° CI.*

Digitized by Google

detergendum, quis inferat; quando tantum spatii ac temporis emensum est, antequam id advenientis incursu aquæ tergeretur. Cæterum, si ex eo, quod tandem vini vestigium omne obliteratur, inferre licet id navi non adhæsisse; idem, ut dicebam, de piceo tegumento, idem de tabularum extimis partibus, quæ longo aquarum appulsu corroduntur, inferri licebit: quæ tamen nemo, arbitror, asseret navi non adhærescere. Nolim tamen, quasi a me prolatum, impugnet Galileus, aquam semel navi adhærentem nunquam ab illa in cursu discedere: discedet plane, sed ubi assecuta diu fuerit; nec simul abscedet tota, sed partim ac minutatim: ut vel sic testetur, non sponte, sed majore vi actam navis se ab amplexibus distrahi.

Ut autem hanc ipsam aeris ac lævium corporum adhæsionem, de qua loquebamur, aliquo ostenderem experimento; hanc inde satis constare dixeram, quod, si lamina aliqua vitrea (Tab I, Fig. 1) *B aquæ imponatur, natat, adhærensque illi aer aquam AC circa vitrum sese attollentem continet, ne diffluat et laminam obruat. Negare id primum videtur Galileus; sed post quasdam verborum ambages atque circuitus, nisi mecum falluntur qui id legerunt, disertissime concedit quod prius negarat. Sic enim ille:* Quanto alla piastra di vetro, che resta a galla tra gli arginetti dell'acqua, io dico, che i detti arginetti non si sostengono perchè l'aderenza dell'aria colla piastra non lasci scorrer l'acqua sopra la piastra, perchè, se questo fusse, dovrebbe seguir l'istesso quando si ponesse nell'acqua la medesima falda alquanto umida; che non è credibile, che l'aria aderisca meno a una superficie umida, che a una asciutta. Tuttavia noi veggiamo, che quando la piastra è umida non si formano argini, ma subito scorre l'acqua. Del sostenersi dunque detti argini altra non è (1) la cagione, che l'aderenza dell'aria alla superficie di essa falda. *In his, si summis ima jungantur, constabit, quidquid in primis verbis negatum fuerat, in postremis concedi. In illis siquidem habetur, non ideo sese circa laminam aquam attollere, quod lamina*

(1) *Nell'edizione principe del Saggiatore infatti si trova com'è citato dal Sarsi*, non è *invece di* ne è; *che è uno degli errori da noi corretti* (*pag.* 298, *l.* 16) *secondo il citato codice Riccardiano. — Vedi la Postilla CII.*

Nota degli Edit.

Digitized by Google

aer adhærescat; in his vero attollentis se circum aquæ sola asseritur causa adhæsio aeris et laminæ ipsius: ut mirari satis non possim, paucis adeo in verbis secum tam præclare pugnare Galileum (1).

Male autem infert et illud: si adhæsio aeris ac laminæ (2) *ea sit quæ laminam sustinet, et aquarum circum aggeres attollit, idem fore etiam si laminam humentem aquis imponamus. Male, inquam; quia, si madida lamina sit, non laminæ, sed aquæ qua lamina madet aer adhærescit: non poterit ergo aer laminam sustinere, cui non adhæret. Hujus autem vera ratio non longe petenda est. Nam tamdiu humor A, v. g., ab humore C sejungitur, quamdiu corpus aliquod dissimile intermediat: dum ergo aer laminæ siccæ B proxime ac valide nectitur, ita ut marginum AC pondus vim adhæsionis illius pervincere nequeat, margines se circum attollunt; at ubi tota maduerit lamina, tunc humor A humori C jungitur, medio illo humore B quo lamina ipsa madet, fitque ex his tribus A, B, C continuus quidam humor: omnis autem humor continuus ad æquilibrium semper se nutu suo redigit, ac proinde partes aquæ altiores AC in depressiorem partem defluunt. Cum autem aer siccæ adhæret laminæ, partes aquæ AC nullo medio humore copulantur, sed aeris interpositu dissident, nec propterea defluunt: sic etiam siccis ac pulverulentis foliis incidentes aquæ guttæ in orbem coactæ consistunt, madidas vero frondes nactæ disperguntur; quia, qua parte madida contingunt folia, eorum humori junguntur* (3), *ac proinde ad æquilibrium redituræ subsidunt. Sola igitur aeris et laminæ adhæsio proxima atque immediata illa est, quæ et laminam sustinet et margines attollit in gyrum.*

Denique, quoniam in hisce inferioribus rarescere perpetuo elementa alternatim atque densari videmus, dixeram, ex rarefactione hujusmodi fieri posse, ut dum ampliori extenduntur spatio, prioris loci contemptis angustiis, altius evolent, ac Cœlum ipsum, si qua obstet, premant, atque ex compressione illa major consequatur adhæsio. Hinc enim fieri, ut dum politissima ac lævissima tabula aliam æque politam sustinet, si horizontaliter moveatur,

(1) *Vedi la Postilla N° CIII.*
(2) *Vedi la Postilla N° CIV.*
(3) *Vedi la Postilla N° CV.*

Digitized by Google

impositam sibi aliam secum trahat, cui tamen nullo alio vinculo nectitur, nisi pondere quo ab ea comprimitur. Hic Galileus, experimento admisso, nihil illud ad rem nostram facere contendit, quia hic de liquidis agimus, quæ, cum facilius distrahantur in partes, non illico ad unius partis motum moventur tota; in solidis vero, cum nequeat par moveri reliquis immotis, nihil mirum, si ad tabulæ subductæ motum etiam superimposita moveatur. Verum nec ipse quidem idem in liquidis accidere assero, quod in solidis; id unum contendo, compressionem scilicet adhæsionem aliquam efficere corporum. Cæterum satis mihi superque est, si in liquidis, ex hac compressione, adhæsio saltem partium solido proximarum consequatur, puta, aquei illius veli, quo proxime navis vestitur; unde prima liquidi pars solidi motum imitetur: primam enim postea alia atque alia, tardius licet, sequetur.

Sed quibus argumentis *(inquit)* Sarsius elementorum rarefactionem suadere conatur, haud difficilius iisdem eorundem arguet densationem. *Ita plane utrumque affirmat Sarsius: hic quidem rarescere, illic densari; rarescere iterum quæ duruerant, atque olim tenuata durescere. Neque mihi lepidum usque adeo caput est, ut existimem, elementa, ab ipso mundi nascentis exordio, æque secundum partes omnes cœpisse rarescere (quod quasi a me dictum hoc loco carpitur), ac toto orbe, omnique ex parte, magis ac magis quotidie tenuari, ut tandem, in omnem Cœli plagam impressione facta, Lunæ cœlum, quasi bullam, nimia inflatione disrumpant: quod nondum quidem accidisse Galileus, per jocum, ait; futurum id fortasse intra paucos annos, cum amplius aliquanto exhalationum moles increverit. Somnia tam ridicula ne matutina quidem mihi ingerit quies; idque ego animo volvo, quod oculis intueor: rarescere scilicet alicubi elementa, atque hinc vapores exhalationesque ascendere; quare, si hæc aliquando Lunæ concavum altius evolatura presserint, tenacius aliquanto eidem adhæsura, ac facilius ejusdem motum secutura. Dixi, alicubi rarescere; nam alibi fortasse densantur, eademque illa, quæ tenuiora altius evolarunt, coguntur iterum ac descendunt* (1). *Hæc ego, nisi fallor, non usque adeo risu digna. Sed jam ad Catini experimentum veniamus.*

(1) *Vedi la Postilla N° CVI.*

Digitized by Google

Examen XL.

Illa, hoc loco, mihi cum Simbellatore lis est: an videlicet, si lævissimum atque sphæricitatis exactæ Catinum suo impositum axi ac polo circumagatur, contentus aer pariter ad ejus motum rapiatur in gyrum. Nam dixerit ne aliquando, etiam aquam ad ejusdem Catini motum moveri (quod nunc diserte negat), ii quærant, a quibus id tamquam Galilei dictum acceperam; quorum cum eodem necessitudo nullum mihi relinqueret ea de re ambigendi locum; quorum doctrina atque eruditio par esset tanti viri dictis, mira præsertim facilitate expositis, non ægre percipiendis; quorum auctoritas si quando privatas etiam ejus epistolas, necdum limam expertas, typis mandasset, haud ille inique laturus esset; quorum denique urbanissima humanitas, dum aperte ac palam, non ut temere prolatum, sed ut consultissime, nobili in corona a Galileo admirationi propositum dictum illud referret, omnem quoque a me inurbanitatis notam removeret, si rem vulgatissimam meis quoque scriptis insererem. Nempe hoc magnorum virorum est, latere plerumque eorum dicta non posse; nihil ab iis proferri, quod oraculum omnibus non sit: ex quo fit, ut, si quando aliqua in re peccarint, difficilior eos subeat pœnitentia; cum resipiscere soli non possint magnorum ductores populorum.

Quod ergo ad experimentum Catini attinet, rem totam paucis absolvam; ubi me prius non usque adeo Euclidianorum principiorum ignarum ostendero. Dixeram, Catini, sive (quod idem in re nostra est) vitreæ sphæræ interiorem superficiem, ad cujus motum inclusus aer movendus est, majorem esse aere proxime movendo. Hic vero, Non advertis Sarsi, *inquit Galileus,* quid tibi malum exciderit, quod magistro tuo non minus quam tibi dedecori vertatur? Itane vero? operti Catini aut sphæræ vitreæ interior superficies aeris contenti superficie tibi major est? neque Euclidianum illud saltem venit in mentem: Quæ sibi mutuo congruunt sunt æqualia? At interior Catini seu sphæræ superficies aeris contenti superficiei congruit; sunt ergo æquales. Quod si forte Catini superficiem cum toto aere contento conferas, longe turpius erras: tum, quod superficiem cum corpore componis, hoc

Digitized by Google

est diversi generis magnitudines inter se confers, cum tamen, ex eodem Euclide, ratio sit duarum magnitudinum ejusdem generis, corpus vero ac superficies genere differant; tum etiam, quod in hac comparatione longe majus semper sit corpus contentum, quam corporis continentis superficies.

Sic ille. Scio tamen positionis meæ sensum neque Galileum, neque alium quemquam ejus similem, latere potuisse; satis enim apparebat, quid superficiei nomine intelligi eo loco vellem, superficiem videlicet physicam, non mathematicam (1): *hoc est aliquid illi simile, quod in aqua navi adhærente aqueum velum Galileus appellavit, cui postea aliam aeris contenti superficiem, hoc est aeris velum ejusdem crassitiei, conferrem; atque ideo non dixeram, superficiem Catini majorem esse toto aere contento (somnium Simbellatoris illud est), sed aere proxime movendo, hoc est ipsa physica superficie aeris contenti. Hoc autem modo si accipiantur superficies, semper continens major erit quam contenta. Et quamvis in Catino etiam aperto id verum sit, non solum in operto, aut sphæra vitrea integra; quia tamen in his magis separatur aer contentus a reliquo aere circumfuso, a quo quiescente veluti tenebatur ne Catini motum sequeretur, ideo etiam in operto Catino, aut sphæra integra, facilior aeris inclusi motus existit, quam in aperto. Nihil igitur Euclidi debeo: cum hic non mathematicarum, sed physicarum superficierum fiat comparatio; neque superficiei et corporis, sed corporum. Nunc demum Galilei experimenta pensanda sunt, quibus conatur probare, aerem Catino inclusum ad Catini motum non moveri. Quibus facilius refellendis id unum prius ponendum est, quod toties a me iteratum fuit; hoc est, neque halitus aut exhalationes, lunari concavo inclusas, eadem celeritate moveri qua Cœlum ipsum; neque inclusum Catino aerem eadem qua Catinum velocitate rotari, sed lentius multo: idque eo magis, quo illæ a Cœlo, hic a superficie Catini continentis abfuerit. Hoc posito, nullam vim habent Galilei argumenta; quæ id unum conantur suadere, inclusum scilicet Catino aerem non æquali cum Catino impetu circumvolvi; quod ultro concesserim: sic enim ille.* Ut appareat *(inquit)* an aer ad vasis circumducti motum rapiatur, dum id axi impositum suo celerrime vertitur, candelas

(1) *Vedi la Postilla N° CVII.*

Digitized by Google

accensas duas sumito, quarum alteram internæ superficiei vasis affigito, alteram vero manu prehensam eidem superficiei proximam teneto. Tunc enim, si aer Catini motum assequitur, atque *(ut ipsius verbis utar)* se in alcun tempo l'aria anderà parimente con quello in volta, senza alcun dubbio, movendosi il vaso, l'aria contenuta e la candeletta attaccata, tutto colla medesima velocità, la fiammella d'essa candela non si piegherà punto, ma resterà come se in tutto fusse ferma; chè così a punto avviene, quando un corre con una lanterna entrovi racchiuso un lume acceso, il quale non si spegne, nè pur si piega, avvenga che l'aria ambiente va con la medesima prestezza, ec. *Ex quibus apparet, vim argumenti ex eo pendere, quod falso a me dictum supponit Galileus; aerem videlicet, Catino clausum, eadem ferri velocitate qua Catinum ipsum. Ego vero tum aerem tum etiam flammam tardius moveri volui* (1); *ad hunc autem motum aeris tardiorem redarguendum, ineptum est Galilei experimentum. Cum enim candela Catino affixa non possit Catini motum non sequi, candelæ vero flamma non Catini sed aeris motui attemperetur; si Catinum feratur celerius, aer vero tardius, celerius etiam movebitur candela quam flamma, atque hæc, ubi trahentem se candelam assequi amplius non possit, ab illa divulsa extinguetur. Motum autem aeris, sed tardiorem, satis superque meum probat experimentum: si enim alia candela accensa manu retineatur, cujus flamma non longe ab interiori Catini superficie absit, hæc, ubi vas circumagi cœperit, in eamdem quoque partem suam eventilabit flammam: hæc autem eventilatio aliunde oriri non potest, nisi ex aeris sese in gyrum agentis incursu. Hanc vero flammam candelæ, non Catino affixæ, sed manu retentæ, ad Catini motum in eamdem quoque partem agi, non est cur neget Galileus: quod si experto sibi id minus feliciter accidit, ideo factum existimem, quia nulla ratione res adeo invisa feliciter ei accidere poterat; accidit tamen iis, qui, æquiore animo id me præsente experti, ipsimet candelam manu prehensam tenere, Catinumque agere voluerunt, viri illustrissimi atque eruditissimi; quos inter Galileo carissimi numerantur, Virginius Cæsarinus et Joannes Ciampolus. Sed quid ego aliunde testes advoco, quando Galileus ipse, vi demum veritatis adigente, ægre licet,*

(1) *Vedi la Postilla N° CVIII.*

Digitized by Google

concedit ex allatis a me experimentis inferri, aeris saltem partem vasi proximam ad illius motum agi? quamquam, ne videatur manus dedisse, ex asperitate id Catini nonnulla, atque etiam inæqualitate, provenire asserit. Sed Catinum illud nostrum æreum fuit affabre torno excavatum, quale videlicet diligens artificis manus lævare ac polire potuit. Si ne sic quidem acquiescit Galileus, ipsius curæ esto vas aliud usque adeo tornatum ac læve inquirere, idque suo affixum polo ita statuere, nihil ut amplius de superficiei asperitate, aut partium inæqualitate ambigi possit. Meæ enim tunc erant partes ostendere, illius quoque circumductione aerem distrahi, etiam flammæ obsequentis indicio. At si vas hujusmodi nancisci nequeat, constabit, aut propositum ab ipso experimentum quod experiri nec ipse quidem possit; aut experiri si possit quispiam, huic aerem Catini motui se morigerum ac sequacem præbuisse.

Hæc ubi se diutius negare non posse advertit Simbellator, Sed demus, *inquit,* ad concavi lunaris, atque etiam Catini motum rapi aerem proximum, cujus crassities digiti mensuram non excedat: quid demum hinc inferat Sarsius? *Inferet, non illum tantum proximum: sed alium etiam remotiorem, post aliquot evolutiones, rapiendum: ut enim pars lunari concavo proxima ipsius Cœli vi rapitur, ita alia remotior, ubi prioris vim partis vitare sui distensione amplius non possit, quamvis tardius, illam assequetur: neque enim minus una aeris pars alteri nectitur, quam ipsi lunari concavo pars illud contingens; quod si hæc illo nexu rapitur, rapientur etiam reliquæ. Id quamquam in Catino adeo manifeste non cernitur; quia, si id apertum fuerit, aer medius ab aere alio ambiente continetur ne motum ejus partis sequatur, quæ utpote Catino proxima ab illo circumagitur; si tamen aut Catinum vitrea lamina opertum fuerit, foramine tantum relicto ad candelam immittendam, aut experimentum non in Catino, sed in sphæra vitrea fiat, in qua aer inclusus magis a reliquo aere ambiente separatur: non erit necesse, candelam superficiei proximam statuere; sed in partibus etiam a superficie remotis, et medio proximis, sua eventilatione indicabit flamma, partes etiam aeris a superficie remotiores rotari. Horum exempla in Libra satis exposui.*

Sed esto, *inquit*; moveatur ad lunaris Cœli motum quidquid illo continetur, ut dictum est: quid illud Aristoteli prode-

Digitized by Google

rit? Vel enim totum quiescit, atque ita incendium excitari non poterit; vel totum rapitur, atque ita nulla erit attritio, sine qua non existit calor, ac proinde neque incendium. *Ajo fore, ut totum rapiatur, sed non æquali motu; celerius quidem Cælo proximum, mox lentius ac lentius, prout ab illo abscesserit longius, quod toties mihi iterandum fuit. Ex illa igitur dispari celeritate partium, dum etiam nonnullæ tenuiores motu effectæ ascendunt, densatæ aliæ descendunt, distractio oritur atque attritio; ac proinde, nisi majori alia vi prematur Aristoteles, asseret, ex attritione illa existere posse exhalationum incendium. Cæterum, vere ne id dicatur, an non, nihil moror; iterumque Galileo in memoriam revoco, me non Aristotelis placita quasi vera tueri, sed Simbellatoris argumenta impugnare. Hic igitur aerem atque exhalationem ad Cæli Lunaris motum agi posse negavit: dicti sui rationem illam attulit, quia Cæli superficies lævis est et polita; non ergo ad ejus motum exhalationes ferri posse: postremum hoc probavit experimento, quia, si Catinum, quasi Cælum aliud, circumducatur, aer inclusus quiescit. Ego vero primum dictum prætereo, quod verum puto; rationem expendo, quam falsam existimo: quia, lævis licet sit et polita Cæli superficies, moveri tamen ad ejus motum poterunt exhalationes contentæ: quod manifesto politissimi Catini, aut vitreæ sphæræ, exemplo atque experimento probatur, ad cujus motum, flamma candelæ indice, aer inclusus movetur. Nulla ergo est Galilei ratio, quidquid sit de Aristotelis doctrina, quam satis superque falsam ostendas, si Cælum liquaveris, hoc est, si quidquid Terræ circumaffunditur tenue ac liquidum ostenderis, solidorumque orbium multiplicitatem sustuleris.*

EXAMEN XLI.

Dictum illud Aristotelis, quo motus caloris causa dicebatur (1), *ita intelligendum dixeram, non quasi sit effectus ipsius motus proprius atque immediatus; hic enim, in hoc casu, ab attritione fit; sed quia, cum motus ipse attritionis sit causa, atque ex attritione calor existat, dicitur etiam motus causa caloris. Neque mirum videri debet, hac usum forma loquendi Aristotelem; cum sæpe aptius,*

(1) *Vedi la Postilla N° CIX.*

Digitized by Google

certe usitatius, mediata usurpetur causa, quam proxima atque immediata; ut cum ambulationem sanitatis causam dicimus, atque id genus alia sexcenta. An vero hoc Aristoteles dictum, ex antiquiori aliqua schola desumptum (hebes ipse, scilicet, et pingui Minerva homo) non satis assecutus sit, ejus demum sensum ac vim, Galileo multa post sæcula explanante, percepturus; pudet me pluribus inquirere: id unum tamen scio, scholam illam, quam bonam præclaro nomine appellat Galileus, Epicuri scholam fuisse, hominis eo omnia dirigentis, ut aut Deum tolleret, aut illum mundi cura levaret (1). *Cætera a me in mea Libra producta, quando e Galilei sensu prolata non sunt, ut ait ipse, nihil erit, cur iterum ad pondus revocentur.*

Quoniam vero, inter disserendum, etiam illud quasi certum produxeram, rarefieri, scilicet, corpora nulla partium separatione facta; non satis se intelligere profitetur Galileus, qua id ratione fieri possit.

Ego vero id quidem fieri quotidie video; modum autem, ut alia quamplurima, planissime ignorare me fateor. Rarescere autem corpora, nulla partium separatione facta, multa docent experimenta: illud maxime obvium: quod si pneumaticum illum tubulum, quo lusoriæ inflantur pilæ, in manus acceperis, adactoque introrsum epistomio, foramen etiam fistulæ summum ita occluseris, nihil ut inde dimittere aut admittere aeris possit; mox epistomium, quasi educturus, magna vi attraxeris: id, ægre licet, manum tamen trahentem sequetur, et locum intra tubulum ampliorem relinquet; quem idem ille aer necessario occupabit, qui prius angustioribus terminis claudebatur. Idem ergo aer nunc majorem, nunc minorem occupat locum, neque partes ejus separantur; cum nullum succedere corpus possit, quod inter illas mediet: nullus enim relictus est aditus. Quin etiam, aerem illum, per vim maximam manubrii attractione extenuatum, nullum aliud sibi corpus adjunxisse ad amplius illud spatium explendum, vel illud argumento est: quia, si epistomium manus deserat, illud se magno impetu intro recipit, et priores aeri terminos statuit. Præterea, in bombardarum explosione, exigua pulveris sulphurei moles, concepto igne, totam occupat bombardæ cavitatem, quæ prius palmari tantum spatio claudebatur:

(1) *Vedi la Postilla N° CX.*

Digitized by Google

nec ulla ibi potest esse partium separatio, hæc enim alterius corporis interpositione fit, nulla autem parte corpori alteri aditus patet. Hæc igitur assero, quia video fieri; modum, quem non satis intelligo, non prodo.

EXAMEN XLIII.

Disputationis hujus illa erat summa. Quærebatur, an ad calorem ex attritu corporum excitandum, in ipsis attritis corporibus partium consumptio ac deperditio requiratur. Asserit enim Galileus, negat Sarsius. Assertionem is probat experimento: Id enim quotidiano discimus usu *(inquit)* ligna, oleum, ac reliqua omnia, tunc calorem excitare, cum absumuntur. *Ego vero, contra, experimento alio oppositum evincere conatus sum. Ærea enim lamina inter mallei ictus ac verbera maxime incalescit; semper tamen ad libellam idem pondus probat. Quia tamen videram, multa insensibiliter fortasse minui posse, quorum propterea dispendium nullo libræ examine explorare possem; ideo id ipsum mihi objeceram, iis verbis: « Quod si quis forte hoc loco asserat, deperdi quidem par- » tes, sed adeo minutas, ut sub libræ quamvis exiguæ examen » non cadant etc. » Addidi tamen, gratis omnino hanc partium jacturam invehi, nisi aliquo saltem argumento illa se prodat. Cum ergo in lamina, inter mallei verbera incalescente, nullo deprehendatur indicio hæc partium jactura, affirmari proinde necessario non debere. Ex quibus satis intelligere poterat Galileus, non usque adeo rudem me atque hebetem fuisse, ut ignorarem, multa consumi posse, nullo tamen sensibili indicio, quando id ipse mihi objeceram. Dum igitur tot, tamque obviis experimentis conatur ostendere, minui posse quamplurima, nullo decrementi manifesto argumento, oleum atque operam perdit: cur enim tanto negotio probet, quod neget nemo? Cum illo igitur hac in re sentio. Globulus inauratus longo usu atteritur: odoramenta, nullo sensibili decremento, vias ac domos complent. Quamvis, si cum Peripateticis loqui vellem, odorem tam multum in species magis odorati corporis, quam in ipsius substantiam tam late diffusam referendum dixerim: quæ etiam specierum sese late fundentium vis multis allatorum exemplorum accommodari facile posset. Sint hæc tamen ut libet; illa certe non di-*

Digitized by Google

sputationi, quæ ea non poscebat, sed aliquantulæ ostentationi, si verum fateri velit, data sunt. Ex his nihilominus aliud nihil infert, nisi multa consumi posse, quamvis decrementum deprehendi non possit: quod jam in Libra ultra concesseram. Nego tamen inferri ex his, etiam in illa laminæ contusione, qua fervet, æris partes deperdi: quæro enim, quibus argumentis illa partium jactura constet, quando ne simbellæ quidem beneficio indagari potest. Huc ergo disputationis deveneramus, cum Galileus, Acute tu quidem, Sarsi, *inquit,* interrogas, unde mihi hæc partium jactura in incalescentibus attritione corporibus constare possit, si ne exactissimæ quidem libellæ examen subit; non tamen usque adeo inextricabiliter me illigat hoc argumentum, ut, aliquantulæ Logicæ beneficio, ex his angustiis evadere non possim. En tibi filum, si postulas, Ariadnæ; progressum videlicet logicum porrigo. Inter attrita corpora, quædam constat nulla ratione minui; quædam maxime consumi etiam sensu experimur; alia denique insensibiliter absumuntur. Jam vero, quæ nulla ratione attritu minuuntur, ea neque incalescunt; cujusmodi sunt specula duo plana ac polita, quorum affrictu, ut nulla partium jactura, ita nullus calor existit. Quæ consumuntur maxime, ea plurimum incalescunt; ferrum v. g. lima expolitum. Ergo quorum consumtio dubia est, nec manifesta, qualis est ferri aut æris inter verbera incalescentis; si ea ex attritu incaluisse videris, absumta quoque, saltem probabiliter, inde conjicies. *Hæc Galilei progressio est, non logica solum, sed etiam tropologica; usque adeo abest a vero. Hoc ut apertius fiat, eosdem, si placet, gressus relegamus.* Constat *(ait)* in attritione quædam nihil, alia maxime, nonnulla insensibiliter minui. *In his non morabor diutius; sint licet quædam, quæ vestigia vellicent, et ultra progredientem revocent. Pergamus.* Quæ nihil attritu consumuntur, illa nec calent. *Hic hæreo; atque hanc ipsam positionem diserte nego: quin, ea ipsa est de qua disputamus. Mea siquidem hactenus illa vox fuit: « quædam attritu non consumuntur, et tamen incalescunt; » quale est æs inter mallei verbera. » Tua vero hæc est:* quæcumque attritu non consumuntur, illa neque incalescunt. *Hoc ipsum tibi probandum est, Galilee, quod primo loco quasi certum ponis.* At *(inquis)* constat id speculorum lævissimorum experimento, quo-

Digitized by Google

rum attritu, ut nulla pars consumitur, ita caloris nihil exprimitur. *Sed malim exemplum aptius afferri; loquimur enim de corporibus quæ affrictu atteruntur: specula autem lævissima ac politissima non atteruntur; non ergo mirum si neque incalescant. Non atteruntur, inquam, mutuo affrictu specula; neque enim attritio est quilibet corporum contactus, sed is tantum ex quo aut minutissimarum separatio partium, aut earumdem saltem existat distensio; quarum hæc quidem in ferri aut æris contusione, illa in eorumdem limatura reperitur. Cum ergo in illa speculorum demulsione potius, quam attritione, nulla partium separatio, aut distentio reperiatur, illorum nulla erit attritio; ac proinde neque incalescent: speculorum igitur exemplum ad rem non facit. Estque hoc plane speculum prensare unguibus, quod vulgo dicitur. Et filum, non Ariadneum, sed arachneum verius, vel in primo labyrinti ingressu disruptum, suum destituet Theseum, non educet. Assignandum igitur est Galileo exemplum corporis, quod atteri constet, nihil tamen ejus deperdi: ex hoc enim, si non incaluerit, aliquid in rem suam decerpserit. Hoc autem difficile est, illi præsertim, qui corporum decrementum omnino insensibile admittit. Nego igitur, quod ad exempla speculorum attinet, vitra polita ac lævia atteri: cum nulla partium esse possit aut consumtio, aut distensio, quarum altera saltem ad attritionem requiritur.*

Sed dederim licet, duo vitra lævissima mutuo affrictu atteri; nego tamen, attritione illa, nihil illorum consumi: si enim insensibilis omnino consumtio admittatur, non video, qua ratione possit Galileus evincere, nihil in speculorum attritione consumi, si rei hujus testes sensus habemus, qui de insensibili partium jactura nequeunt judicare. Jam ergo mihi incertum est, an in speculorum attritione nonnullæ partes evolent, ex quibus tamen abscedentibus calor nullus existat, quam in ferri contusione; an, nullis abscedentibus particulis, calor tamen maximus producatur: ut hinc inferre quis possit, partium consumtionem reperiri quidem nonnunquam in attritione, sed ad calorem excitandum conferre fortasse nihil; cum incalescant alia attritu, nulla cognita consumtione partium, ut in contusione ferri accidit; alia vero, partibus abscedentibus, ne tepescant quidem: quod evenit in speculorum illa demulsione.

Digitized by Google

Sed et illud ex adytis sapientiæ, documento scilicet meo, depromit Galileus: corpus nimirum aliquod gravius, etiam in specie, futurum post aliquam partium jacturam, quam esset antea. Si enim *(inquit)* nodosum ac densum aliquod lignum rariores et porosiores partes adjunctas habeat, quarum levitate in aquis sustineatur; iis detractis partes reliquæ, utpote graviores in specie, descendent atque mergentur. *At ego gratias quidem, quas debeo Galileo, pro hac habeo gratia: sed norit, jamdudum in hæc nos naturæ secreta penetrasse. Certe non semel hac de re disserentem audivi Magistrum meum, atque ea maxime occasione, cum auream sphæram ejus ponderis confici docuit, ut eo intra aquam staret loco quo locaretur, summo, imo, medio. Horum igitur ac similium memor, Galilei documento carere facile poteram* (1).

Jam vero in re nostra, in qua quæritur, an ad calorem ex attritione excitandum necessaria sit partium consumtio, nihil iis probatur argumentis, quæ tantum id esse posse evincunt, non autem re vera ita esse; quod unum quæritur. Esto enim, in ferri percussione pondus semper idem non sit evidens nullius jacturæ argumentum; quod potuerit ex eo aliquid evolare, quod levius esset in specie quam ferrum (2)*: nullo tamen, ac ne probabili quidem, argumento efficitur, ut hæc consumtio revera extitisse dicenda sit. Nos autem, nisi ratio aliud suadeat, sensu ad scientiam ducimur: sensus autem pro me stat; ratio, seu logica progressio Galilei, ipso in ingressu concidit, ut ostensum est supra; gratis igitur hæc partium absumtio affirmatur.*

Ut autem ostenderet Galileus, vere in attritione multas corporis attriti partes evolare, reliquis corporis partibus (in specie) leviores; ab experimentis dictis suis fidem facit. Ne videar *(inquit)* hæc quasi fugitans dixisse; si quis vitra aut duriores lapides fregerit, ad confractionem omnem fumum quemdam ex iis ascendentem apertissime cernet; qui suo illo ascensu necessario ostendit, esse se aere leviorem: id ego primum expertus sum, cum specillorum vitra clavi, ferrove alio, rotundarem. *Hic ego tria notatu digna animadverto. Primum est, id quod e fractis erumpit vitris, fumum esse. Alterum, ex ejus ascensu necessario ostendi, esse*

(1) *Vedi la Postilla N° CXI.*
(2) *Vedi la Postilla N° CXII.*

Digitized by Google

illum aere leviorem. Tertium, experimentum desumtum esse ex illa specillorum rotundatione, quæ ex levi clavis, ferrive alterius, corrosione efficitur.

Ego vero neque fumum illum esse, neque aere leviorem, ascendat licet, existimo. Primum probo eodem Galilei experimento, sed exactius aliquanto instituto. Laminam vitream utraque manu arreptam in duas ipsemet partes effringat; advertet, nullum inde fumum erumpere (1). *At si ex fractione inclusus poris fumus aut exhalatio ascenderet, harum copia major ex totali illa propemodum vitreæ laminæ confractione erumperet, quam ex levissima ejusdem vitri corrosione; cum pori ibi plures, quam hic aperiantur: sit enim licet lamina, utraque manu duas in partes diffracta, amplissima, nullus fumus existet; sit licet vitri corrosio levissima, pulvisculus ille semper erumpet. Hoc igitur argumento est, quidquid ascendit non fumum esse, sed ejusdem vitri pulvisculum, qui ex illa corrosione ac comminutione vitri a reliquis partibus sejungitur; quæ comminutio cum non accidat, si duas tantum in partes vitrum effringatur, nihil propterea evolat.*

Pulvisculum autem illum, quamvis, in specie, aere graviorem, supra aerem ascendere nihil vetat: (atque hoc est alterum, quod expendendum posueram. Experimur plus nimio, nobis pulverulenta incedentibus via, ac subjectum pedibus pulverem, suspenso quamvis gradu, calcantibus, pulveream illico nubem ascendere atque in altum evehi; ut e longinquo spectantes etiam illud effari cogat: Quis globus, o cives, caligine volvitur atra? *An, quæso, levior propterea aere est pulvis ille, qui aerem tamen exscendit? an, quæso, et hic fumus est? Ajo igitur, quidquid e vitri aut saxi confractione evolare cernitur, minutissimas esse vitri aut saxi particulas, quæ aeris ipsius motu feruntur tantisper in altum; mox tamen iterum subsidunt ac decidunt. Si enim is fumus esset aut halitus inclusi poris, major, ut dicebam, ejusdem materiæ copia ex toto vitro bifariam dissecto existeret, quam ex levissima ejusdem corrosione; cum tamen contrarium experimento constet. Reliqua ex his facile etiam diluuntur* (2).

(1) *Vedi la Postilla N° CXIII.*
(2) *Vedi la Postilla N° CXIV.*

Digitized by Google

EXAMEN XLIII.

Ut eos hoc loco prorsus conficiat Galileus, qui e nubium attritione fulgura ac fulmina emicare contendunt, telum hoc intorquet, aitque, tunc eos maxime ignes accendi, cum suspensæ et quietæ nubes, nullo actæ turbine, conquiescunt. Sed ii vel levissima corporis declinatione ictum eludent; dicent enim, attritionem, quæ nubem incendit, non tam alterius incursu nubis existere, quam interna partium cujusque nubis agitatione compressioneque vehementi: hic porro partium motus adverti non potest, fieri enim potest manente totius nubis eadem figura. Præterea in trochlearum funibus, quamvis lentissimo atque omnem sensum fugiente motu actis, ex sola partium valida compressione calor atque incendium excitatur (1). *Nubium ergo partes agitari intus vehementissime poterunt, ac proinde etiam incendi, nullo tamen totius nubis motu percepto.*

Neque Aristoteles, quod sciam, in numero est eorum, qui tonitrua nubium, quasi montium, incursu fieri asseverant: satis ille sonitus illius causam assignat, cum exhalationum vim magnam, motu agitatam incensamque, per obstantes nubium cuneos erumpere, fragoremque illum excitare diserte scribit.

Quod autem Philosophorum plerique, ad sonos edendos, corporum solidorum allisionem requirant; mox nubes atque aerem maximo fragori edendo statuant aptissima: nihil est, cur miretur Galileus, eosque tamquam pugnantia asserentes arguat. Neque enim pugnantia hæc sunt, si aer ac nubes nonnumquam vim solidorum, mollia licet ac liquida, expleant: explent autem quotiescumque motus celeritas, ac subita incursio corporum loco cedere non permittit. Dura siquidem sonum ideo suscitant, dum motui alterius corporis obluctantur; cui si quando aer aut nebula pariter reluctetur, solidi partes omnes explebit ac duri. Ita, si virgam lento per aera motu egeris, nullus sibilus exaudietur; si celerrime excusseris, maximus; ibi siquidem mollis aer, impulsus molliter, tempus aptum receptui nanciscitur; hic pressus propere, atque, ut ita dicam, inopinate (quod in subita sæpe fuga evenit) stupet, ipsa fugæ ne-

(1) *Vedi la Postilla N° CXV.*

Digitized by Google

cessitate fugam remorante. Hæc igitur, si quo sensu prolata sunt intelligantur, nihil in se absurdi continent; sed puræ consonant veritati.

EXAMEN XLIV.

Quærebatur hoc loco, an aer, utpote corpus tenuissimum, atteri posset. Negarat Galileus; id ego, quasi Peripateticum agens, tum ratione, tum magnorum auctoritate virorum probaveram. Sed hic primo objicitur, frustra afferri Senecæ, Suidæ aliorumque suffragia, atteri aerem experimentis probantium; quando in manu nostra est, illa ipsa tam admiranda præstare, quæ ab iis aliisque narrantur. *Verum, si quæ a nobis scribuntur æquiore legantur animo, constabit, nos aliud nihil ea testium aggeratione voluisse, nisi, ut quæ ratione ipsa prius firmata fuissent, aliorum etiam testimonio firmarentur. Ratio porro illa fuerat, quia, quamvis inter corpora tantum aliquo modo solida attritio sit, aer tamen, et quodcumque aliud tenue corpus, in ipsa motus celeritate vim solidi nanciscuntur, cum obluctentur impellenti, nec cedant: tota autem attritionis ratio in solidis ab illa resistentia est; hæc igitur, cum reperitur in liquidis, eadem attritionem pati coget, ac proinde etiam incalescere.*

Quamvis autem in aeris atque exhalationum exarsione, et plumbi fundis excussi liquatione, aeris ipsius attritione, non autem corporis solidi, opus sit: non ideo, ut Galileus ait, minus aptum censendum est aeris exemplum, parietes ipsos longa pulsatione corrodentis. Eo enim loco satis mihi erat ostendere, aerem, si magno feratur impetu, durioris naturam corporis induere; ac proinde duriora atterere, atque ab iis vicissim atteri. Sane quantum a vero distet Galilei dictum, quo neque aerem neque aquam attritioni obnoxiam asserit, vel illud in aqua experimentum ostendit, quod hæc, vi maxima scopulis allisa, non in spumam modo frangitur, sed e longinquo etiam prospectantes tenuissima, atque omnem aciem fugiente, irrorat aspergine. Non solum igitur atteri atque distendi aqua potest, sed etiam comminui; ac, nisi aliud obstiterit, hoc saltem nomine incalescet (1).

Dixeram cum Statio, fundæ gyris aerem quasi constringi ac densari, indeque incalescere ac plumbum liquare. En *(inquit Ga-*

(1) *Vedi la Postilla N° CXVI.*

Digitized by Google

lileus) Sarsius modo aeris attenuatione calorem igni asseruit, nunc, una cum Statio, ejusdem constipatione glandes plumbeas igniri canit: id quam constanter? *At ego hæc ita semper inter se connexa putaveram, ut ex uno semper etiam inferri alterum posset. Neque enim unquam pars una aeris concrescet, quin aliæ rarescant illam ambientes, in subitis præsertim concretionibus: neque contra in celeri solidi motu adhærens quasi distractus, rarescet aer, quin pressus circumstans densetur* (1). *Nos igitur hoc loco aeris attritionem inquirimus, quæ tum in rarescentibus, tum etiam in sese densantibus corporibus reperitur; immo vero in densatione maxime.*

EXAMEN XLV, XLVI, ET XLVII.

Quæcumque examine quadragesimo quinto objiciuntur, satis superque supra diluta sunt. In quadragesimo sexto illud peculiare mihi a Galileo imponitur. Quia enim, inter cætera exempla attriti aeris et durissima corpora liquantis, illud addideram, ex Historicis fide dignis haberi, plumbeas pilas tormentis bellicis excussas nonnunquam in aere liquescere, atque invalido ictu ferire: negat ipse id fieri posse, quando perexiguo tempore, quo per aerem fertur, liquari ab aere accenso non potest ea pila, quæ in fornacem conjecta diutius eius flammas, nihil emollita, toleraret. Rationem propterea mihi aliquam excogitandam esse, qua ostendam, accenso aere, vehementius ac celerius posse plumbum liquari, quam vehementissimis fornacis flammis. *Nec abnuo: ajo enim, flammam quamcumque, validi spiritus vi actam et in cuspidem acutissimam tenuatam, non plumbum modo, sed æs quoque cuspidis illius igneæ attactu liquare illico posse. Hoc mihi pollicetur quotidianum experimentum, in quo exigua lucernæ flamma, quæ oris ipsius halitu per tubulum tenuissimum inspirato difflata, atque in acumen tenuissimum evibrata, vitrum ipsum subito liquat et solvit, atque artificum forcipibus stylisque formandum emollit: usque adeo vehemens ignis ille est, qui aeris vehementi impulsu citatur. Aer igitur ignitus, et valido concitatus impulsu, validius etiam uret quam fornacis flamma, sed quieta* (2). *Sed addit præ-*

(1) *Vedi la Postilla N° CXVII.*
(2) *Vedi la Postilla N° CXVIII.*

Digitized by Google

terea: Cereus globulus, sclopeto excussus, tabulam etiam crassiorem perforat; non ergo in aere liquescit: quod si non liquescit cera, cur liquescat plumbum? *Sed unde constat Galileo, cereum globulum in aere non liquescere* (1)*? an quia asserem perforat? at exhalatio, etiam liquatæ cera liquidior ac tenuior, hoc est fulmen, non asseres modo, sed muros etiam ingentes permeat: potest ergo cereus globulus, etiam ab igne mollitus, obstantem trajicere tabulam, si magno feratur impetu.* At *(dicet)* si plumbum liquescit, invalido ictu feriet. *Nego consequentiam: quamvis enim liquescat, si tamen pari agatur impetu, pariter feriet; cum feriendi vis ex motus potius velocitate, quam ex duritie ferientis corporis habeatur: quod si quandoque plumbeæ glandes inter vestes hæserunt, ictu irrito ac figura mutata; non ex eo quod calore diffluxerint, sed aliunde* (2) *ratio petenda est.*

In quadragesimo septimo. De fatuis illis ignibus in cœmeteriis cujuspiam adventu hominis, aut lenis auræ flabello, excitatis, (3) *affirmo, satis illos vel hoc uno significare se, ratione aliqua, motu genitos esse, quod vel spiritus impulsu, vel alicujus adventantis existunt motu; atque ita, quos veluti parentes agnoscunt, et insequentes præcedunt, et insequuntur fugientes.*

Dum vero illud iterum atque iterum urget Galileus, attritionem non esse nisi corporum duriorum, ac proinde aerem atteri non posse: si duri nomine id intelligatur, quod alterius motui resistit, nec facile scinditur; vere id dictum existimo: sed, ut alias sæpius, aer ac nubes corporibus celeriter actis obsistunt, eorumque cursum nonnumquam omnino sistunt. Nisi enim aut densetur aer, aut scindatur, corpori alii transitum non præbebit (4)*; constipatio autem omnis, aut scissio, tempus aliquod requirunt: si quid ergo incurrat celerius, quam ut debitum ei tempus permittat, neque densabitur aer, neque scindetur, nec proinde moveri ulterius corpus alterum permittet. Hac igitur ratione durescit aer, atque ita alterius duri corporis incursu atteri potest. Quod si duri nomine illud intelligi quis velit, quod, quocumque se modo habuerit, seu*

(1) *Vedi la Postilla N° CXIX.*
(2) *Vedi la Postilla N° CXX.*
(3) *Vedi la Postilla N° CXXI.*
(4) *Vedi la Postilla N° CXXII.*

Digitized by Google

quietum, seu motum, difficile scinditur; nego, hanc duritiem requiri ad attritionem. Ego vero aerem atque exhalationes, non in ipsa quiete, sed in agitatione ac motu atteri dixi; cum scilicet, ex ipsa motus celeritate, resistendi vim habent, et plagas sentire possunt.

Illud autem, hoc loco, non admirari non possum, usque adeo nihil Galileo interesse inter aerem et palearium. Ut, quemadmodum in hoc, exigua stipula incensa, moles tota eodem igne comburitur; ita, si quid aeris arserit aliquando, non ante flamma defervere debeat, quam, toto penitus absumpto aere, sola pabuli penuria incendium restinguatur. *Sed nubes et ipsa concipiendo igni apta est; num ergo, pari ratione, si quando, emicante subito igne, pars nubis exarserit, tota illico nubes, nullis reliquiis, conflagrabit* (1)? *Longe aliter se res habet. Nubes enim, arida licet atque infœcunda, æstivo quamvis exustum sidere circumvolet Cœlum, atque ignivoma centum e faucibus Æthnam provocet; non uno tamen emicat fulgore, enecat fulmine; sed, qua se primum igni præparat, illa parte lucet, illa nocet; cætera, nigra adhuc atque innoxia: mox, ubi parte alia ignem conceperit, eadem disrupta pariet, reliquis integris. Ita aer non, quasi tormentarius pulvis, concepto semel igne totus evanescet in flammam; sed tantum, si qua atteritur atque igni apte præparatur, exardescet: cæteris partibus, nihil interim ab igne timetur, nisi se illi concipendo aptius aliquando disposuerint.*

EXAMEN XLVIII.

Ut ostenderem, Cometæ flammam, ex Aristotelis sententia, potuisse ardere diutius, neque subito extingui incendio; dixeram, ut nostros inter ignes quosdam, sicciore materia pastos, brevissime conflagrare videmus; alios vero, pinguiori pabulo enutritos, non ad interitum illico properare, sed ardere diutius: ita fieri posse, ut simile quid in fulgure ac fulmine, aliisque brevioris vitæ ignibus accidat, quod apud nos in materia sicciore; Cometis vero id eveniat, quod facibus aliisque diuturnioribus flammis. Galileus, ne quid inexpensum prætereat, Male id meis rebus accommodatum; *monet:* fulgura enim, si sicciore constant materia, in altiori aeris regione gigni debere: Cometas, si densiori pabulo nutrian-

(1) *Vedi la Postilla N° CXXIII.*

Digitized by Google

tur, ac proinde graviori, suo semper pondere in humilioribus plagis hæsuros. Nihilominus tamen, Cometas altiores plagas incolere, eorumdem circa Terram diurnus motus ostendit. Contra vero, fulmina non longe a Terra discludi, tempus brevissimum fulgur inter ac sonitum interjectum demonstrat. *At ego non usque adeo severam legem impositam existimo levioribus gravioribusque corporibus, ut semper hæc in imis, illa in summis hærere plagis debeant; si præsertim non solitaria, sed mixta fuerint. Nubes hoc mihi aqua graves persuadent, quæ aeri superinnatant leviori; quia aqua illa a materia ipso aere leviori substentatur, hoc est ab exhalationibus igneis. Ergo, si quid etiam omni subjecto aere levius, hoc est igneum, materiam illam viscidam et glutinosam Cometarum sua elevet levitate; ex altiori specula, longum in tempus, nobis Cometæ fulgebunt* (1): *fulminibus interim subjectis in nubibus dirum intermicantibus, quod ab aqua aliaque graviori materia, cui admiscentur, vel invita deprimantur.*

Nunc me illa vocat de calore digressio, in qua se e schola Democriti atque Epicuri unum profitetur Galileus. Quia tamen jejune admodum, hoc loco, disputationem libro dignam paucis absolvit versibus; neque mihi pronum est cum eo disputare, cujus ignorem principia: nihil ideo de hac sententia statuo. Habeat hanc ille sibi sine rivali: illorum hac de re arbitrium esto, qui, recte sentiendi æque ac loquendi magistri, incorruptæ fidei tutelæ excubant. Nonnullus tamen, qui me angit, scrupulus aperiendus est (2). *Hic mihi ex iis nascitur, quæ ex Patrum, Conciliorum, ac totius Ecclesiæ placitis, de Eucharistiæ Sacramento apud nos indubitata censentur; qualia illa sunt: abscedente, verborum potentissimorum vi, panis ac vini substantia, superesse nihilominus eorumdem sensibiles species, colorem scilicet, saporem, calorem aut frigus; has vero divina tantum vi, atque, ut ipsi loquuntur, miraculose sustentari. Hæc illi. Galileus vero diserte asserit, calorem, colorem, saporemque, ac reliqua hujusmodi, extra sentientem, ac proinde in pane ac vino pura esse nomina: ergo, abscedente panis ac vini substantia, pura tantum qualitatum nomina remanebunt. Quid ergo perpetuo opus miraculo est, puris tantum nominibus susten-*

(1) *Vedi la Postilla N° CXXIV.*
(2) *Vedi la Postilla N° CXXV.*

Digitized by Google

tandis? Videat ergo hic, quam longe ab iis distet, qui tanto studio harum specierum veritatem ac durationem firmare conati sunt, ut etiam divinam huic operi potentiam impenderint. Scio equidem lubricis ac versutis ingeniis videri posse, patere hinc etiam effugium aliquod; si fas sit sanctissimorum fidei Præsidum dicta ad libitum interpretari, eaque a vero et communi sensu alio detorquere. Verum, quod in Terræ motu suadendo non licuit, cujus tamen quies inter fidei nostræ capita expressa non habetur: minus id, nisi fallor, licebit in eo, quod aut summum est, aut summa quæque complectitur. Remanent, ajunt illi, in hostia sensibiles species, calor, sapor et reliquæ: Galileus vero, calor, inquit, et sapor extra sentientem, ac proinde in hostia pura sunt nomina; hoc est nihil. Inferendum igitur ex Galileo erit: calor et sapor in hostia non remanent. Horret animus cogitare. Libet tamen, ut de re tota non disputem, quædam, rem ipsam veluti circumsistentia, examini admovere. Ac primo quidem, illa mihi discutienda ratio est, quæ maxime Galileum in eam adduxit sententiam, ut colorem, reliquasque sensibiles qualitates, nihil extra sentientem esse existimaret. Sic enim ille: Titillatio illa, quæ leni plumæ adductione circa nares aut labia maxime in nobis excitatur, tota in nobis est; non in pluma, aliave levi materia præexistit, quæ postea suo contactu eamdem nobis imprimat. Pari igitur ratione adducor, ut credam, evenire et aliis qualitatibus quæ naturalibus corporibus tribuuntur, quales sunt odores, sapores et colores, aliæque id genus multæ, quas extra sentientem, pura tantum nomina existimo. *Sed, ut verum fatear, cum hoc argumentum a particulari progrediatur, nihil omnino probat: liceret enim etiam mihi adversus Galileum inferre: Leni illo plumæ ad nares affrictu, existit in sentiente titillatio, nulla licet plumæ particula pellem nostram aut carnem permeet; pari ergo ratione adducar ut credam, attriti corporis attactu colorem in nobis produci, nulla licet ex illo corpore erumpant corpuscula, quæ motu suo pellem et carnem nostram minutatim perforent.*

Ut autem constet disputationis argumentum, nulli ego quidem dubium esse existimo, an ipse caloris sensus extra sentientem sit; hæc enim ridicula prorsus esset dubitatio, cum extra sentientem sensus esse non possit: quæritur ergo, an quidquid calor, præter

Digitized by Google

ipsam caloris sensationem, est, in calefaciente præexistat, an vero sit in sentiente tantum. Negat autem Galileus, quidquid calor est, præter ipsam sensationem, calefacienti inesse. At ego, vel ex ipsius verbis, calorem, hoc modo sumptum, tam calefacienti quam calefacto inesse contendo. Vel enim, ex Peripateticis, calor qualitas est; atque hæc, ex eadem schola, agenti inest et passo: vel, ex Galileo aliisque, est divisio continui, quam corpuscula illa in sentiente efficiunt, in quæ corpus calefaciens solvitur; atque hac etiam ratione, calor in agente est et in passo. Dum enim calefaciens corpus solvitur, atque ex eo erumpunt corpuscula ignea, hæc illud quoque permeant dividuntque non minus, quam cum postea carnem nostram pervadunt. Ita ut, si attrito ferro v. g. sentiendi vim addideris, non minus caloris sensurum sit, quam qui manu manum perfricat. Ut enim, cum eo motu calorem excitamus, erumpentes igniculos et pellem dissecantes sentimus; ita, si ferrum vi polleat sentiendi, idem sentiet quod nos ipsi: atque ut manus manum calefaciens idem in se experitur quod alteri imprimit, ita attritum ferrum quidquid caloris alii præbet ipsummet patitur. Si ergo calor non pro ipsa sensatione sumatur, quidquid calor est, in calefaciente æque atque in calefacto est: non est ergo extra sentientem purum nomen. Secundo, dictum illud, motus est causa caloris *(cujus vis non satis Aristoteli perspecta olim fuit) nunc tandem Galileus genuino ac vero exprimit sensu:* En *(inquit)* hic ille motus est, qui calorem efficit; motus videlicet corpusculorum viva corpora permeantium. *At, Galilee, motus hic etiam frigoris causa est, saporum, atque odorum omnium, idque te judice; nihil ergo erat, cur signanter adeo caloris causa diceretur, non autem saporis, aut odoris. Ego vero non ita ineptos existimem Priscos illos fuisse, ex quibus hanc vocem Aristoteles tibi desumpsisse videtur, ut, quam omnium prorsus sensationum causam putarent, hanc uni calefactioni, quasi propriam, tribuerent: nimirum peculiarem quemdam nexum inter motum et calorem vidisse credendi sunt, cum motum caloris causam esse dixerunt. Sane si quis, quasi commune quoddam effatum, pronunciaret, Solem causam esse betarum; næ ille maximam brassicis, fabis, ac reliquo olerum populo, injuriam faceret; quando æque omnia tam claro genita parente se jactant. Non existimet igitur Galileus, ita iniquos*

Digitized by Google

Priscos illos fuisse, ut eam calori quasi peculiarem causam assignarent, quam sibi qualitates omnes apud ipsos vindicarent, hoc est motum corpusculorum, in quæ corpora majora solvuntur.

Præterea, Sensationum, *inquit,* diversitas ex diversis eorumdem corpusculorum figuris oritur: *fortasse enim rotunda ac lævia dulcem, angulosa et scabra amarum saporem efficiunt. Ergo sensatio eadem eamdem corpusculorum figuram requiret. Calor igitur ab ejusdem figuræ corpusculis semper producetur. At cum lux calefaciat, hæc autem Galileo nihil sit aliud, nisi luminosi substantia in atomos indivisibiles dissoluta: indivisibilia igitur, dum carnem permeant, eamdem dividunt ac proinde calefaciunt. Sed indivisibilia nullius figuræ sunt; non ergo ejusdem cujus sunt igniculi, qui, divisibiles cum sint, figuram aliquam admittunt. Præterea indivisibile, ex communi Philosophorum sensu, non dividit, cum locum non occupet: lux ergo carnem non dividet, cum ex indivisibilibus distinctis et separatis constet: neque ergo calefaciet, cum calefactio sit carnis nostræ divisio.*

Sed et illud admirationi est, ita scilicet corpuscula illa suarum tenacia figurarum esse, ut contusione atque attritione nulla easdem mutare cogi possint. Saccharum enim, v. g., natura dulce, teratur licet in dies ac menses, numquam attritione illa fiet, ut corpuscula, quæ in eo dulcedinem secreto mellificio figurabant, mutata forma, in amaritiem degenerent: id quod in amaris etiam experimur. Ita ne vero credibile est, nihil tam longa attritione corpusculorum illorum angulos deteri, nihil aliorum lævorem exasperari? Quod si figuræ mutentur, debet et sapor variari: manet tamen idem seu dulcis, sive etiam amarus. Quid plura? Galileus ipse corpus calorificum dissolvi paulatim asserit in corpuscula minora ac minora; ac demum, quasi per gradus, ad ultimam summamque dissolutionem in atomos plane indivisibiles pervenire. Dum ergo corpuscula illa magis magisque solvuntur, ut indivisibilia tandem fiant, eorum figuras perpetuo mutari, credibile est: semper tamen calefaciunt; non ergo hæc figuræ varietas sensationum efficit diversitatem.

Lucem autem, ut ajebam, tunc fieri asserit Galileus, cum quid in atomos indivisibiles solvitur. Hæc autem indivisibilia non, ut olim alii, physica vult esse; sed mathematica, ac vere nullarum

Digitized by Google

partium: in atomi realmente indivisibili. *Hinc porro non una mihi exoritur difficultas* (1). *Prima illa est, quam supra exposui. Nam si lux ex dispersis indivisibilibus existit; cum indivisibilia continuum corpus non dividant, omnis autem sensus ex divisione continui sit, ex Galileo: nullus erit a luce sensus: est autem etiam a luce calor; ergo vel lux ex dispersis indivisibilibus non est, vel non est calor continui divisio.*

Sed quoniam, in hac nova philosophandi ratione, plus aliquid audendum videtur, quam in veteri illa ac religiosa nimis: quid, si Galileo quispiam positionem illam negaverit, cui uni tota dissertationis hujus moles incumbit? Titillatio *(inquit)* extra sentientem nihil est. *Fac me, hoc loco, novarum magis rerum studiosum, quam veritatis indagatorem: nihil cunctatus, propositionem illam diserte nego.* At id contra communem omnium sensum est, *inquies. Sed nos nova sectamur, ac plane incredibilia. Ajo igitur, titillationem, non minus quam calorem, qualitatem quandam esse extra sentientem; atque hanc cuicumque corpori inesse: ejus tamen sentiendæ organum circa genas maxime ac nares, alas et plantas a natura constitutum: his igitur partibus ubi leniter, hoc est apta ratione, sensibile applicitum fuerit, sensum illum ab ea qualitate excitari, medium inter molestum ac jucundum. Ita ne vero, inquis; in papyro aut pluma, per genas leviter ducta, titillatio est? Ita plane, si titillationis nomine non sensationem, cujus solum animal capax, sed qualitatem ipsam, hoc est totum id a quo sensatio illa existit, intelligas: ea plane ratione, qua neque calorem igni inesse dixi, si caloris nomine sensus ipse sumatur; inesse autem, si vox hæc illud significet, a quo caloris sensus existit. Hæc autem in gratiam tantum Galilei dixerim.*

Præterea neque illud usque adeo mihi certum videtur, quod ille innuit: tactus nimirum sedem toti quidem inesse corpori; maxime autem volæ ac pulpulis digitorum. Nam, cum hæ partes callosiores ac duriores semper natura sint quam reliquæ, minus aptæ sentiendo videntur. Experimur certe, facilius aliorum corporum frigus aut calorem sentiri, si iis partem manus exteriorem admoverimus, quam si volam aut pulpulas digitorum.

Sed, ne quid in luce non videamus: si lux celerrimi est

(1) *Vedi la Postilla N° CXXVI.*

Digitized by Google

motus, ac vere momentanei, ex Galileo, omnium etiam maxime erit activa: quia omnis vis atque activitas a motu est. Præterea, cum indivisibilibus constet, pervadet omnia; cum penetrationi sola obstet corporis magnitudo. Alia vero parte, igniculi, quia corpuscula sunt, ac motus proinde tardioris et temporarii, etiam minus erunt activi, et ad corpora pervadenda minus idonei. Experimur tamen his omnino contraria: lux enim, laterna occlusa, foras non emicat; cum tamen calorifica erumpant corpuscula. Sunt igitur corpuscula hæc activa magis, et penetrationi magis idonea; celerioris proinde motus, et lucis particulis minutiora censebuntur. Hæc obiter et cursim in re non satis aperta.

EXAMEN XLIX.

Cum sidera, libero oculo inspecta, majora videantur interdum, quam si per telescopium inspiciantur; certe non æque atque alia per telescopium augeri videantur: quærebatur, an amplius illud siderum lumen libero oculo ostensum inde oriretur, quod pars aeris sideribus, in speciem, circumfusi, ab ipsis sideribus illuminata, unum veluti corpus cum ipso sidere constituere videretur; ac proinde majus illud efficeret sui adjectione. Quod inane commentum ut refelleret discursus cometici auctor, illam, inter cæteras, rationem attulit: Lucis illud additamentum sideribus ab aere illuminato esse non posse, quia aer neque incendi neque illuminari potest (1). *Hoc igitur loco, quamquam non ignorarem illorum dictum falsum esse; ad illud tamen refellendum rationem hanc idoneam non existimavi, cujus propterea vim mihi expendendam proposui; eamque nullam esse ostendi, opposito plane, sed veriori, argumento. Hoc est. Constat, aerem vere illuminari, ex aurora, crepusculis, aliisque exemplis innumeris: falsa igitur hæc ratio est; ac proinde per illam non stabit, quin sidera ex illuminato aere pinguescant, et majora compareant; quin sol ipse, horizonti propior, ex eodem aere clariori majorem crescat in orbem, etc. Atque hæc summa dictorum meorum. Quare hoc unum Galileo præstandum fuerat, ut ostenderet aerem illuminari non posse: quidquid enim præter hoc molitur, non est ad rem. Nam revera sidera ex additione illumi-*

(1) *Vedi la Postilla N° CXXVII.*

Digitized by Google

nati aeris non augeri; Solem in horizonte non inde majorem apparere, quod crepusculorum quasi vestem luminosam induerit; ac reliqua omnia a Galileo hoc examine docte admodum et copiose ingesta, facile admitto. Illud unum falsum esse affirmo: aerem scilicet illuminari non posse. In hac probanda propositione omnis erat impendendus conatus; hanc enim si veram ostendisset, omne tulisset punctum. Videamus ergo quid in hanc rem afferat. Quid tu mihi auroram objicis et crepuscula, Sarsi? Non aer in his, sed vapores crassiores illuminantur. *Sed libet ex Galileo quærere, hoc loco, quid ipse aeris nomine intelligi velit. Auctores enim illi, adversus quos disputat, aeris nomine liquidum hoc et tenue corpus intelligi volunt, quod oculos nostros et Cœlum interjacet; quod aerem vulgo dicimus; quodque nusquam vaporum expers ibi purissimum censetur, ubi quam paucissimis deturpatur. Aer enim purus et vaporum expers, quem illuminari non posse contendit Galileus nusquam, quod sciam, reperitur; neque ulla parte Cœli ad nos siderum lux defluit, quin per impurum aerem et lumini obnoxium transeat. Ut ergo dederim, purum aerem illuminari non posse, satis illis ac mihi est, si hic saltem quem ducimus, per quem Cœlum intuemur et sidera, numquam non vaporosus, semper lumen sistat, remittat et frangat: quod auroræ, crepusculorum ac perpetui circa Solem splendoris exemplis ostenditur. Addo etiam, Solem, dum major in occasu cernitur quam cum media regnaret in aula, aeris illuminati argumentum esse certissimum: cum enim hæc amplior Solis forma ex refractione fiat solarium radiorum in aere vaporoso; non possit autem radiorum refractio esse, sine illuminatione corporis in quo refringuntur: si in aere vaporoso franguntur, aer ergo hujusmodi illuminatur.*

Quod si nusquam purus aer habetur, impurus autem illuminatur; absolute dici potest, aerem illuminari. Ac pari etiam ratione, si nusquam frumentum reperias non ærinum et loliaceum: atque utrumque genus frugis ita permistum nascatur, ut nullo cribro, eventilatione nulla secerni possint: haud inepte quis dixerit, frumenti esu capitis existere vertiginem; ac proinde tritico abstinendum ei, qui illi morbi genus experiri nolit; quamvis lolium, non autem triticum, hanc vertat rotam.

Dixi ex communi sensu in mea Libra, Solis ampliorem formam

Digitized by Google

ad horizontem, ex interjecto aere vaporoso eoque illuminato nasci; idque auctores olim nec paucos nec vulgares sensisse. Dictum hoc Galileus ita interpretatur, quasi dixerim, ex Sole atque illuminato aere, e duobus veluti luminosis, confici majus illud lucis simulacrum, cum nihil unquam tale commentus sim. Nempe id unum agebam, ut ex iis auctoribus ostenderem, illuminari aerem posse; nihilque præterea, nisi hoc unum, ex illa majori Solis apparente forma mihi poscebam. Sciebam quippe, phænomenon illud, multorum saltem judicio, ex refractione solarium radiorum in vaporosam sphæram incidentium existere. Sed quia ex hac ipsa eorundem radiorum refractione efficitur, aerem vaporosum illuminationi obnoxium esse; ideo ampliorem Solis faciem, etiam summorum virorum consensu, in illuminatum aerem referendam asserui: non quod illuminatorum vaporum adjectione moles Solis excrescat; sed quia, dum ex lucis refractione apparenter tumescit, ostendit, aerem illum illuminari in quo suam frangit imaginem. Quibus etiam summis viris Galileum ipsum addo, diserte asserentem, incrementum illud figuræ solaris ex eadem refractione in aere vaporoso produci.

Sed cum diximus *(inquit)* aerem illuminari non posse, de eo aere locuti sumus, qui flammam proximus ambit; ac de ea illuminatione, quæ inde illi accidat, quod ab eadem flamma incendatur. Sarsius autem de aeris illuminatione agit, quæ illi longe etiam a flamma dissito, absque ullo incendio, evenire potest. *Sed huic Galilei interpretationi repugnat, quod auctores illi quos hoc loco arguebat, quia sidera ex aeris illuminatione majora, in speciem, fieri contendebant, numquam aerem sideribus proxime circumfundi existimarunt: iis enim adamantini Cœli sunt, quibus infixa sidera ab aere remotissima emicarent. Illi ergo, non aerem sidera contingentem, qui nullus apud illos erat; sed elementarem hunc nostrum, qui a sideribus longe distat, siderum lumine sive accendi sive illuminari voluerunt: ac proinde, si, quod erat necesse, eorum dictum Galileus arguebat, non debuit illud ad aerem luminosis corporibus proxime circumfusum referre.*

Quoniam igitur tota hæc a Galileo congesta argumentorum multitudo adversus eos tantum vim habet, qui absolute asserunt, aerem sideribus, in speciem, affusum ab iis ita illuminari, ut mox nulla autem flamma, ait ille, perspicua est; ergo Cometa flamma

Digitized by Google

pari cum iis luce fulgens, sui veluti adjectione, ampliorem una cum iisdem luminis molem constituat: nihil plane me tangit; qui positionem illorum non absolute mihi propugnandam suscepi, sed id unum contendi: nullam scilicet rationem illam esse, qua eam Galileus impugnat, quod nimirum aer illuminari non possit, quando hic revera illuminatur; ac propterea, si alia non urgeat ratio validior, per hanc non obstet, quin aeris illuminati adjectione crescere sidera existimentur. Sic enim progreditur series argumenti: Quod amplior siderum species in aerem illuminatum referri non possit, ea ex Galileo ratio id probat, quia aer illuminari non potest: sed hæc ratio falsa deprehenditur, cum vere aer illuminetur; ergo, si hæc una spectetur ratio, species siderum amplior illuminato circum aeri tribuetur. Probet igitur Galileus, aerem hunc nostrum, de quo loquimur, illuminari non posse, quod unum rei conficiendæ est satis: nam reliqua omnia, pulcherrima, eruditissima, verissima quamvis sint, ad rem non faciunt.

Sed quid hoc est? Post illam umbratilem plane pugnam, in qua tu tibi adversarium finxisti (nihil enim eorum a me dictum, quæ docte adeo impugnas), in qua proinde tam multa, quæ tempus non poscebat, prodige profudisti; aeris illuminatione, quæ sola belli causa fuerat, nondum profligata: quid hoc, inquam, est, quod tam gloriose victoriam canis? Cedete dunque, Sarsi, e tacète. *Vox hæc, mi Galilee, longe abest ab illa animi tui moderatione: nisi forte, qui Epicurum ac Democritum inter corpuscula hactenus egisti, nunc Pythagoram induis; ac proinde, quasi discipulo, silentium indicis, et tandem dare manus jubes. Video quid expectes: cadere, nimirum, apte in rem tuam videretur vox illa,* Vicisti, Galilæe. *At non ex me audies vocem e tam diri monstri* (1) *ore profectam. Silentium tamen mihi ipse imperabo, ubi prius paucis, quæ reliqua sunt, de flammæ perspicuitate percurrero.*

Examen L et LI.

Inter cæteras machinas, quibus conatus est Galileus ostendere, Cometam flammam non esse, etiam illa fuit, quod Cometæ coma perspicua fuerit, cum per illam nihilominus sidera intermicarent:

(1) *Vedi la Postilla N° CXXVIII.*

Digitized by Google

non est. Ut ergo hujus vis argumenti expenderetur, quærendum mihi fuit, esset ne vere flamma perspicua, an non: neque longe mihi hujus rei experimentum petendum fuit, cum, ad lucernæ lumen sedenti, mihi se mediis in flamma nigricans ellychnium visendum præbuit; mox, incensa lignorum strue, carbones ac semiusta ligna patuerunt. Expertus tamen et alias flammas rariores, ut aquæ vitis ac sulphuris, harum interjectu nihil eorum tegi animadverti, quæ ultra ipsas constitissent. Ex quibus apertissime inferebatur, flammas, nisi materiæ alicujus peculiaris qua constent opacitas obstet, natura sua perspicuas esse, non autem opacas. Quia tamen verissimum id etiam est, flammam nonnumquam impedimento esse, ne objecta ultra ipsas posita videantur (quod non flammis solum, sed rebus omnibus, seu propria, seu aliena luce fulgentibus accidit); propterea hujus rei causam, et, nisi fallor, veram attuleram: quia nimirum, cum species fortior ac validior vehementius potentiam moveat, quam species alia debilior; lux autem validissimum objectum sit, ac tanto validius, cæteris paribus, quanto propius potentiæ fuerit: nihil mirum, si lucidi corporis interjectu objecta ultra ipsum posita nonnumquam tegantur. Verum, ad hanc machinam evadendam, novam quandam perspicui definitionem comminiscitur Galileus, aitque: Perspicuum illud esse, quod rem ultra se positam videri permittit: *et, quod inde consequitur, opacum illud, quod eam videri non patitur. Ergo, mi Galilee, meridianus aer simul opacus est, atque perspicuus* (1): *opacus, quia nudis oculis astra videri non patitur; perspicuus, quia iisdem telescopio armatis eadem per otium spectari permittit: ac proinde aeris eadem pars omnino, eodem tempore, tibi, per telescopium intuenti, maxime perspicua, Jovem ostendet; mihi, nudis oculis spectanti, opacissima, omnia, præter Solem, teget. Alia igitur longe est perspicui definitio: hanc ego ex Vitellone, aliisque Opticæ magistris decerpere interim malo. Nam ex Vitellone diaphanum, sive perspicuum, illud est, per quod lumini et speciebus transitus patet: opacum contra, per quod transitus nec speciebus nec lumini ullus permittitur. Alii verbis quidem aliis, eodem tamen sensu, perspicuum illud vocant, quod lumini rerumque formis pervium est. Quamvis autem hæ definitiones ab ea, quam Galileus attulit, prima fronte, nihil differre videantur; differunt tamen toto*

(1) *Vedi la Postilla N° CXXIX.*

Digitized by Google

Cœlo: fieri enim potest, ut per corpus aliquod species et imagines rerum ad nos perveniant, non tamen illas videamus, ob earumdem specierum confusionem in oculo. Sicuti cum, per clausæ fenestræ foramen, in obscurum cubiculum rerum externarum species immittitur, nulla prope foramen distinguitur imago; sed tantum in majori quadam distantia ab ipso foramine, in qua separantur species illæ, quæ, foramini proximæ, permistæ erant et confusæ. Aeri igitur, etiam meridiano, aptissime convenit Vitellonis definitio, sive nudis, sive armatis oculis sidera intueamur: semper enim, quia perspicuus est, siderum speciebus liberum ad nos transitum præbet, illæque ad oculos nostros perveniunt eosque imbuunt; sidera tamen ipsa videri non patitur, non quia opacus sit, sed quia lumine ampliori interjecti medii oculi iidem implentur, quo sideris minutior species confunditur et infuscatur. Galilei definitio aeri competit noctu tantum: tunc enim solum siderum lucem videri permittit omnibus; non autem interdiu, quo tempore omnia, præter Solem ac Lunam, tegit. At definitio Vitellonis aliorumque, nocturno ac diurno æque aeri congruit. Ajo igitur, non minus in meridiana luce, quam intempesta nocte, siderum ad nos species ac formas pertingere: ac proinde, non minus diaphanum aerem esse cum Solis luce perfunditur, quam cum nocturnis tenebris infuscatur; latere autem luci sidera quæ noctu patent, quia lucis diurnæ vis amplior validius visus organum afficit, quam minutior illa quæ a sideribus profluit. Non quidem, quod ulla aeris pars, sidus atque oculum interjacens, clarius micet quam sidera ipsa; sed quia ad oculum plurimæ aeris illuminati partes lucem transmittunt: a sidere autem quolibet, quasi ab uno puncto lux radiat. Multiplex ergo ille radiorum, quamvis infirmiorum, ab illuminato aere venientium concursus in oculo, sideris confundit imaginem, obruitque, nec sentiri permittit (1). *Idem enim visus accidit sensui, quod et aliis: nam, ut sine doloris sensu impressum carni ferrum candens excipimus, si eodem tempore proximis partibus large admoveatur et glacies; atque amaros non aversamur succos, si multo conditi melle sorbeantur, cum tamen et tactum ignis attingat, et gustum succus amarus inficiat: ita, quamvis ad oculum sideris forma perveniat; aeris tamen illuminati species amplior minorem illam obruit confunditque.*

(1) *Vedi la Postilla N° CXXX.*

Digitized by Google

Sed, nisi fallor, concedit tandem Galileus, flammam, si exigua sit, perspicuam esse; si tamen molis fiat amplioris, minus semper ac minus perspicuam futuram. Ergo aqua, ex eodem Galileo, perspicua non erit; non vitrum; addo, non aer ipse: hæc enim, quæ ab omnibus inter perspicua numerantur, quo majorem crescunt in molem, eo minus perspicua sunt: quia, cum semper admista illis sint opaca corpuscula, ad incrementum molis totius crescit etiam opacitas. Aut ergo neget Galileus, vitra, aquas, aerem ipsum esse perspicua; aut his addat et flammas.

Video tamen quo me angustiarum redigere tentet. En *(inquit)* Sarsi, quam non severe ac rigorose tecum agam. Nam, si mercatorum more ad libellam pensandæ res forent, ne causa excideres, accendenda tibi esset flamma Cometæ magnitudini par, eaque longissime ab oculo statuenda, ac per eam demum nobis sidera ostendenda. Ego tamen non hæc abs te reposco; longe faciliorem sterno viam: flammam, non illam immensam, sed ulnarum decem; hujus ab oculo distantiam non multarum Terræ diametrorum, sed ulnarum centum requiro: per hanc si cuiquam stella transpareat, victum me fateor; si vero nulli contingat stellas per hujusmodi flammam intueri, hanc unam tibi mulctam impono, silentium. *Hæc ille, perbenigne sane in speciem, sed ne callide minus. Ego vero, quæ Galileus ad hoc experimentum facilius capiendum tam large donat, non liberaliter minus rejicio; ac mecum plane mercatorum more agi volo, et rem omnem ad libellam expendi: sed id unum reposco, quod ipse cautus ac nimium tenax nec protulit, nec dedit; quod unum si habuero, eodem, quo Cometa constitit loco, eademque mole flammam succendam, ne minima quidem sidera contegentem. Quæris, Galilee, quid illud sit? Materia nimirum illa, qua Cometas accendi putavit Aristoteles. Illa enim, si memini, vox etiam tua est:* Rebus longe positis velandis eandem inesse vim, seu flammis, seu corporibus illuminatis. *Sed, tuo etiam suffragio, Cometa corpus est illuminatum; ergo, quæ huic Cometæ, corpori illuminato, vis fuit ad obtegenda ultra ipsum posita sidera, eadem plane erit eidem corpori succenso: sed corpus hoc illuminatum sidera non tegebat; ergo neque succensum texisset.*

Quare, si eamdem illam mihi aut similem materiam obtuleris ei, ex qua illuminata tibi fulxit Cometa; illam ego eadem mole

Digitized by Google

eodemque loco succendam, intermicantibus per illam impune sideribus, nullo eorum velato, pallente nullo. Hoc ergo unum si dederis, cætera per me tibi habeas licet. Ajo igitur, dum Peripateticum ago, Cometæ pabulum, luci concipiendæ parum aptum, succensum licet, micare languide; proinde stellarum aspectum minime impedire. Cur enim flamma reperiri non possit, cujus splendor Cometæ nostri lucem non superet? ac proinde nec stellas velet? Dum ergo ex me quæris, sit ne Cometæ flamma nostris similis, respondeo: tenuioris illam longe splendoris esse; et propterea, cum luminosa (te etiam auctore) juxta luminis sui modum opacitatem induant, longe minus opacam; ideoque nihil stellarum aspectui officere. Non igitur mirum, si, cum nostras adhibui flammas, per eas non stellas conspici jusserim, sed carbones, ligna atque id genus alia; quod hæ lucidioris materiæ sint, quam Cometæ. Hæc autem omnia, quæ de Cometæ perspicuitate diximus, de sola coma intelligenda sunt, non autem de ipso Cometæ capite, quod densius multo et opacius est.

Sed vocant me tandem Hebræi pueri, per innoxios Babylonicæ fornacis ignes, spectante Rege, ambulantes. Cum enim ex eo quoque loco flammarum perspicuitatem arguissem, quod Rex eosdem videre se in medio ignis ambulantes testaretur: ait Galileus, non frustra verbis a me citatis etiam illud præmissum: Angelus autem Domini descendit cum Azaria et sociis ejus in fornacem, et excussit flammam ignis de fornace, et fecit medium fornacis ventum roris flantem: *quibus verbis innui aperte videtur, excussa prius atque amota omnino ab Angelo flamma, per purum aerem Regis aspectui transitum patuisse. Ego vero nullam ex verbis illis causæ meæ detrimentum accidere arbitror. Theodoretus sane, hunc explicans locum, ab ea tantum parte, in qua pueri ambulabant, excussam ab Angelo flammam asserit, ut eam scilicet ab eorum corporibus removeret.* Illi *(inquit)* qui foris erant, flammam incendebant: sed sanctus Angelus flammam dissipabat, et mediam fornacis partem *(non enim ait totam)* ignitis carbonibus nudans, auram quamdam frigidam et humidam, quæ Sanctis multam afferret voluptatem, in eorum corpora immittebat. *Rex sane tunc obstupuit, cum eos ambulantes et canentes intuitus est. Quod autem, cum laudes canerent, jamque Angelus flammam dissipasset, adhuc tamen illos circumsisterent*

Digitized by Google

flammæ, quamvis eminus; ex eodem Theodoreto sic accipe: Azarias a flammæ fluctibus circumspersus aperuit os suum dicens, etc. (1). *Huic adde Chrysostomum.* Ignis *(inquit)* illis murus factus est, et vestis flamma. *Cui etiam consonat Cyprianus:* Quomodo et cum tribus pueris in camino ignis fuit, et quia in Deum simplices atque inter se unanimes permanebant, flammis ambientibus, medios spiritu roris animavit. *Quod si Patribus etiam probatos addiderimus interpretes, omnem plane summoverimus scrupulum. Caspar Sanchez in eumdem locum:* Media *(inquit)* pars fornacis vacua erat a flammis, ubi erant pueri: nam partem aliam, quæ ad fornacis ostium pertinebat, occupabat ignis, quem late ad cubitos 49 vomebat fornax. *Huic denique Cornelium a Lapide addamus, cujus hæc sunt;* Hi pueri ab igne servati sunt, quia Angelus excussit ignem, eumque ab eis abegit, et removit ad latera fornacis et extra fornacem. *Ex quibus omnibus constat, mediam tantum fornacis partem flammis vacuam, Angeli ministerio, effectam; quod satis etiam iis verbis exprimitur:* Fecitque medium fornacis quasi ventum roris flantem. *Sane, si Angelus omnem a fornace flammam abegisset, et præterea, ut ait Theodoretus, ignitis etiam carbonibus nudasset; cum eos postea e fornace Rex evocaret, non dixisset,* Egredimini de medio ignis. *Quod si vis adhuc magna flammarum occupabat quidquid reliquum erat fornacis, credibile est, proximas ostio partes, unde illæ erumpebant, et unde ad Regis oculos patebat aditus, reliquis vehementius exarsisse. Sed quid erat necesse flammas abigere, ut ambulantes inter ignes pueri libere spectarentur? quando et prunas, et ambusta ligna, ingentes etiam inter flammas spectamus.*

Jam, quod ad quinquagesimum primum examen attinet, ajo, flammis non minus perspicuitatis esse, quam fumo ac nebulæ: quemadmodum igitur, si hæ aut rarissimæ, aut exiguæ fuerint molis, rerum aspectum non impediunt; ita, juxta flammæ materiam, eidem lux et perspicuitas inerit. An non materia, ex qua Cometæ coma resplenduit, aut nebula, aut aliquid rarissimæ nebulæ simillimum fuit? per illam tamen sidera cernebantur. Ergo per tenuem æque flammam, similisque fulgoris, non difficilius eadem

(1) *Hoc vero fuit antequam Angelus descenderet et flammam dissipasset.* Editores.

Digitized by Google

sidera spectarentur. Neque mihi mens unquam fuit flammas ab omni opacitate absolvere, qui aerem ipsum (nostratium rerum rem maxime perspicuam) hujusmodi semper infectum labe volui, ad lumen aliqua ratione sistendum. Licuit igitur mihi flammas perspicuas dicere, cum id libuit; eisdemque, ac reliquis luminosis, opacitatem aliquam tribuere: cum utrumque iis conveniat, si cum diversis conferantur. Addo etiam, optime a me retortum in ipsum Galileum ejus argumentum. Cum enim eamdem opacitatem inesse luminosis omnibus asserat, quam tribuit flammis, si valet inferre: Cometa flamma est, ergo perspicuus non est: valebit etiam tantundem, si dicas: Cometa luminosum quid est, ergo perspicuus non est. At hoc est falsum; cum Cometæ coma et luminosa et perspicua fuerit, etiam Galileo assentiente: falsum igitur erit et illud. Non ergo pugnantia dicimus, si luminosa, e nostro sensu, perspicua esse affirmamus; mox eadem non perspicua, ex Galilei placitis pronunciamus.

Quam vero rationem invenit Galileus, ad Aristotelis sententiam labefactandam, ex comæ ductu, quod hæc, si flamma foret, in altum semper attolleretur, non autem a Sole aversa porrigeretur in latus, et laudo, et probo. Nisi tamen flamma eadem, vi aliqua Solis occulta, impelleretur, atque in oppositam partem veluti diffla-retur; tunc enim neque sursum illa tenderet, nisi cum Soli oppositus Cometa consisteret; neque, verticem licet prætergressa, mutaret aspectum; sed in aversam a Sole partem, in quam urgeretur, perpetuo vergeret.

Ut igitur quæ hactenus semper diximus nunc etiam ad extremum repetamus, affirmo fieri posse, ut flamma aliqua neque clariori constet materia, quam halitus ille, in quo, si Galileo credimus, ex solaris luminis refractione aut reflexione Cometæ capillitium emicuit: hanc mihi flammam si quis accenderit, eandemque vel ultra Lunæ plagas statuerit, mole etiam amplissima, nullum stellarum aspectui impedimentum allaturam existimo.

EXAMEN LII.

Aristoteles, ex Cometis, annum non pluvium, sed siccum, ventorum vim ingentem, ac Terræ motus portendi asseruit. Aliter Galileo visum: Quod, cum Cometæ hujusmodi nutriantur haliti-

Digitized by Google

bus, ab illo incendio, aut nullas, aut certe pauciores eorumdem halituum relinquendas reliquias credibilius sit, quam majorem illorum copiam præsignari. *Ego vero illud contra attuleram. Si qua in urbe per fora ac vias magnam tritici vim dispersam negligenter haberi, ac vilissima quæque capita candidissimos panes depasci videas; merito rei frumentariæ facultatem tantam arguas, ut nulla in ea urbe penuria, in longum tempus metuatur. Ita, cum earum exhalationum sedes, quibus, ex Aristotele, Cometa succenditur, humilioribus plerumque plagis contineatur; neque altius evolent, nisi cum, suis sedibus ampliores majorisque loci indigentes eo usque feruntur, quo illas sola copia prodigit: potuit ex iis ad illas usque plagas perductis, maxima earumdem copia in his inferioribus designari: sic enim, si e puteorum ore exundantem late aquam quis videat, ingentem in imo aquarum affluentiam arguat necesse est. Et quamquam nihil apertius dici poterat, quasi non satis perceperit Galileus quid dixerim,* Merces, *inquit,* frumentarias in foro ac viis exponere, non est id demum frumentum consumere. *At, Galilee, triticum per fora ac vias dispergere ac negligenter haberi; panem non nisi similagineum, vilissimæ etiam plebeculæ, apponi, non est id demum triticum consumere? Hæc mea vox fuit, non quam tu mihi adscribis.* Sed aptius multo *(inquis)* exemplum, et rei nostræ accomodatius fuerit, si dicamus: quod Cubæ cultores insulæ, cinnamomum pro lignis perpetuo incendant, haud sane immerito quis inferat, ea merce insulam abundare. At vero, si audias in ipsis cinnamomi sylvis, incendio, nescio quo casu, excitato, arbores prorsus omnes, nullo opportune occurrente, conflagrasse; ineptus plane sis, si e tam vasto odoratæ mercis incendio majorem inde ejus copiam portendi asseras. *Ita plane est, ut dicis; sed Aristotelis dictis ac meis prior hujus similitudinis pars accommodatur, non posterior. Neque enim dicimus, Cometas ex incendio exhalationum omnium existere; neque hanc flammam in exhalationum veluti sylvis excitatam: sed, sicuti ex cinnamomi maxima copia in sylvis fit, ut Cubenses ex eodem ligno e sylvis asportato sibi ignem domi nutriant: ita, ex insueta exhalationum affluentia in regionibus humilioribus, oritur, ut partes nonnullæ leviores altius evolent, ubi cœlestibus illis orbibus propiores eorum rotatu incendantur. Et quoniam eo halitus huju-*

Digitized by Google

smodi non ascendunt, nisi cum inferioribus amplius non capiuntur plagis; nulli dubium esse poterit, an eorum ascensu major eorumdem copia in inferioribus significetur.

Ajo igitur, Cometas, ex Aristotele, eadem qua ventos materia constare: non tamen hinc sequitur, si quid hujus materiæ arserit, eodem incendio absumendam pariter universam; cum nimirum in eadem materia una pars ad ignem concipiendum aptior esse possit, quam alia; ac proinde una ardere, non alia. Certe si arbor aliqua, aut ramus saltem una cum foliis incendatur, abibunt illico in flamma folia, iisque ambustis, omnis illico flamma subsistet, nullis ignis reliquiis: quod truncus, quamvis ex eadem materia constet, humidi tamen adhuc multum admistum habeat, neque igni concipiendo sit aptus. Ita neque quidquid exhalationum igneārum nube clauditur, si qua pars illius micuerit, ardebit pariter universum; sed paulatim alia parte disponetur, qua subitam iterum abibit in flammam: reliquis interim salvis adhuc atque integris, quæ nondum aptæ sunt ignibus; aptissimæ tamen ventis ac terræ motibus excitandis.

EXAMEN LIII.

Nihil amplius supererat expendendum, neque proinde quidquam Galileus expendit. Disputationum tantum nostrarum judicium eorum relinquit arbitrio, qui utriusque scripta diligentius expenderint: quod præstare iis, etiam per me, licebit. Quoniam vero duo mihi imposita a Galileo fuerant, inter se quasi pugnantia, ad singula videlicet examina peculiaris ac distincta responsio, mox etiam silentium: utrique ita a me satisfieri volui, ut, cum rebus omnibus ac plerumque etiam verbis responderim, nunc demum, quamdiu licuerit, conticescam; atque interim mecum ipse libro meo submurmurem: Ohe jam satis est, ohe libelle. Dicerem etiam libella, si versus permitteret.

Digitized by Google

POSTILLE

DI GALILEO GALILEI

ALL' OPERA

RATIO PONDERUM LIBRÆ AC SIMBELLÆ ec.

I. Simula il viso pace, ma vendetta
Chiama il cor dentro, e ad altro non attende.

II. Voi dite che la Cometa è una furia degna d' inferno, mentre pure la ponete in Cielo. Chi volesse usare il vostro maligno modo di argumentare, potrebbe dire che voi biasimate la Natura, o piuttosto l' autore di essa, che avesse posto in Cielo una cosa degna d' inferno.

III. Se voi aveste detto questa scusa, o difesa vostra nella Libra, forse si sarebbe accettata, cioè che voi nel problema non aveste considerato, nè ponderato con diligenza la Cometa, acciò ella non vi aspettasse, nè vi nocesse. Ancorchè si fosse potuto dire, che voi vi riputaste troppo gran personaggio a aver paura delle Comete, le quali pare che sien formidabili solo ai grandissimi principi e non ai pari vostri.

IV. Le maschere non son permesse se non *licentia bacchanali*, onde a trattare con esse fa mestieri della medesima licenza. Voi in cotesto romano Collegio andate pure in maschera; adunque in cotesto romano Collegio avete imparato a servirvi della licenza baccanale. Mi fate sovvenire d' un verso di un poeta comico: *Qui Curios fingunt, vivunt bacchanalia.*

V. Questo non è il vero metodo insegnatovi da me per non lasciare niente non considerato; perchè io trascrivo tutta la vostra scrittura senza lasciarne sillaba, e voi per dare un poco di vita alle vostre calunnie e falsità, almeno appresso quelli che

Digitized by Google

non hanno il mio libro, non producete, e anco troncatamente, altro che quei luoghi dei quali vi par di poter rappresentar contradizioni, o altre fallacie; la falsità delle quali troppo chiaramente si conoscerebbe da chi avesse in pronto l'opera mia.

VI. Voi, per darmi titolo d'imbriaco, avete finto di non intendere quello che significhi SAGGIATORE. Io alla vostra imitazione potrei dire, che il nome SIMBELLATORE vien dai zimbelli, che sono alcuni piccoli sacchetti pieni di crusca legati in capo di una cordicella, coi quali i nostri fattori il carnevale soglion sacchettare e zimbellare le maschere, e che così inavvertentemente aveste augurato a voi medesimo scherzi più aspri; ma non voglio ec.

VII. *Hæc porro omnia* ec. Questo è contro Aristotile, che nel principio de' libri del Cielo non vuol che *omnia* si possa dir di manco che di tre, e qui vien detto di uno.

VIII. Nuova ed arguta occasione d'intitolare i libri dagli esercizj che si fanno in campagna nel tempo che si finiscono di stampare. Mi avete ben per un giudizio più che insipido, a creder ch' io cavassi il titolo d'un mio libro da così sciocca occasione, sebbene a voi si rappresenta salata e arguta. I libri si sogliono denominare dalle cose che essi trattano; ma che hanno qui che fare i saggiuoli o le vendemmie?

IX. Se voi aveste cognizione della lingua toscana, avresti, senza più oltre leggere nel mio libro, inteso come il nome SAGGIATORE, senza traslazione, significa l'istesso che *collybista*, e non *prægustator vini*, il quale noi chiameremmo assaggiatore, perchè si dice assaggiare il vino, e non saggiare. Inoltre, già che voi dite che, avvertito del significato in che io lo prendo, comprendeste, che il pigliarlo per assaggiator di vini era non pur falso, ma indecente e poco sobrio, perchè scriverlo? non si può per mio parere dir altro, se non per darmi, con ricoperta assai trasparente, titolo di briaco, con assai poca modestia: cosa che ho sfuggita io, benchè ne avessi assai largo campo, come poco di sotto intenderete (1).

X. Male *habet:* Infausta *hinc ominari potes:* imperocchè

(1) *Questa Postilla è fra le poche edite, come saggio delle medesime, dal Venturi, Parte II, pag.* 339-344.

Digitized by Google

zimbellatori son quelli che con i zimbelli sacchettano le maschere.

XI. Voi non intendete questo mestiero, mentre credete che i saggiatori si servino delle bilancine per pesar l'oro o l'argento: essendo che l'uffizio loro è di ritrovare se il metallo, che viene proposto per oro puro o per argento, è tale, o pure tiene di rame o altra materia men perfetta o d'alchimia; e così il saggiatore scuopre i vostri errori mascherati con molte e molte fraudi e inganni, e non gli pesa altramente, lasciando che tal giudizio si faccia da chi si sia, e con qualsivoglia stadera ben grossa.

XII. E che volete far, sig. Sarsi, se a me solo è stato conceduto di scoprir tutte le novità celesti, e a niun altro nessuna? E questa è verità da non si lasciar sopprimere da malignità o invidia. Io primo e solo ho scoperto la Luna montuosa ec. E *tantum abest*, che altri avanti di me abbiano tali cose osservate, che infiniti le negavano, e molti le negano ancora dopo essergli state molte volte mostrate: e voi medesimo, per non intendere ancora che cosa sieno le projezioni dell' ombre, e l' altre apparenze per le quali necessarissimamente si conclude la montuosità della Luna, col parlarne scherzevolmente mostrate di non la credere. Di più io non ho mai detto, esser impossibile ch' altri avanti di me abbia scoperto ec.; ma che Simon Mario, nel volersi attribuire l' anzianità nelle Medicee, si mente, e ne adduco la ragion manifesta. E perchè niun altri che lui si è attribuito tal cosa, se voi volevi parlare a proposito, non dovevi in generale rispondere al mio particolare, ma dimostrare che poteva benissimo essere, che Simon Mario avesse osservate le Medicee avanti di me, e ch'io e non esso si fosse ingannato circa la loro declinazione ec. La vostra dunque considerazione è un grande sproposito, accompagnato da malignità e invidia (1). Aggiungasi di più: voi dite che ogn'uno ha gli occhi, e che molti sono i telescopj, e però che molti potevano osservare ec. E non v'accorgete, che tanto vien ad esser maggiore la lode mia e il biasimo degli altri; li quali sarebber degni di scusa, se io solo avessi avuto occhi e telescopj.

(1) *Fin qui edita dal Venturi, l. c.*

Digitized by Google

XIII. Non veggo di potere scusar la malignità vostra manifesta, se non con l'ignoranza, dicendo, che è necessario che voi non abbiate intesa la ragione con la quale io dimostro la bugia di Simon Mario, e in conseguenza che voi non intendiate come, essendo Giove australe, bisogni ec. Qui si vede, che voi scrivete solamente per quelli che non sono atti a rivedervi il conto.

XIV. Non mi meraviglio punto, che la Libra sia piena d'inurbanità, poichè l'autore s'è accorto che l'inurbanità si disdice, dopo l'essere assunto al pontificato Urbano. Mi meraviglio bene della presente scrittura, che n'è più copiosa di quell'altra. (*Di mano del Guiducci*)

XV. Leggasi il Saggiatore e il mio Discorso, e si vedrà se sia vero, che o il sig. Galileo o io affermiamo, che l'opinioni portate da me sian tutte del sig. Galileo, come voi dite; e si conoscerà quanto voi siate stato inurbano e scortese, anzi siate tuttavia, in insistere d'attribuire ad altri quello, che io non ho attribuito. (*Del medesimo*)

XVI. Cioè dell'opinione del sig. Galileo, non dell'altre cose che sono nel mio discorso. (*Del medesimo*)

XVII. Pensate che i muscoli si dipingono a capriccio, e non a imitazione della natura!

XVIII. Non vi dolete poi se siete riconosciuto.

XIX. Voi vi querelate di quello di che dovresti ringraziarmi: imperocchè ponete che io vi abbia, benchè mascherato, conosciuto; non vi par egli ch'io vi abbia molto rispettato e tenuto conto della riputazion vostra, mentre che, sendo messo in necessità di rispondere alle vostre opposizioni, e per ciò scoprir molti vostri errori, ho dissimulato il vostro nome, e vi ho lasciato occulto sotto quella maschera che voi medesimo vi ponesti al volto? E già che mi porgete sì opportuna occasione di mostrarvi quanto io più cortesemente mi sia portato verso di voi, che voi verso di me, non la voglio lasciare. Voi di sopra, per darmi con arguzia assai fredda del bevitore e briaco, dite che, sendo la prima origine di questa parola Saggiatore presa dall'assaggiare i vini, onde Saggiuoli ec., fuste per esprimerla con il termine *pitissator*, *libator etc.*; ma che poi avendo dalla lettura del mio

Digitized by Google

libro compreso, che io la pigliavo per significare quelli che fanno i saggi dell' oro, parendovi anco che la prima denominazione fusse poco onesta, e indegna di filosofo, e che perciò ne desideravi una più sobria; lasciata la prima, pigliaste quest'altra. Io quando però veddi il libro vostro, mi accorsi il nome esser finto, e potere esser che sotto di quello si contenesse in qualche modo il vero nome, cognome e patria dell'autore: e nel tentare se per sorte era un anagramma, veddi che si risolveva in Orazio Grassi Salonense. Nel ricercare poi accuratamente qual patria fusse questa Salona, veddi in Strabone, quella essere un luogo in Bitinia assai celebre per esser fecondissimo provveditore e ingrassator di buoi. Or questo encomio non mi piacque punto, e per fuggire ogni ombra di scherno determinai di lasciar la maschera nel suo essere ec. Voi di sopra avete scritto quello che non si cava da mie parole, e voi stesso lo confessate e dite che è ignominioso, e pur lo scrivete. Io tacqui quello che dalla vostra medesima deposizione si cavava, e solamente per fuggire ogni sospetto d'irreverenza lo tacqui.

XX. Addio sig. Lottario: ora comprendo il vostro astuto avvedimento di mascherar voi e affrontar me smascherato, che fu per poter liberamente burlarmi e anco pugnermi senza paura che io fussi per aprir bocca; nè potete in conto alcuno negare di non l' aver fatto a tal fine, perchè, dalle punture in poi, non è altra cosa nel vostro libro, dove non si tratta altra cosa che di quistioni filosofiche e matematiche (studj onestissimi), per la quale voi vi aveste avuto a nascondere: adunque a questo solo fine vi mascheraste. Ora perchè voi qui mi tassate di svergognato, lascerò ch' altri giudichi chi sia men modesto, o quello che, per tassare chi mai non l' offese, cerca di ascondere la sua ingiuria sotto la maschera; o l' altro che, ingiustamente provocato, col viso scoperto risponde alla maschera. E notate appresso, sig. Lottario, che l' ingiurie non si pesano nè si pareggiano colla bilancia, ma con la stadera; tra le quali è questa differenza, che dove la bilancia sta in equilibrio quando nelle due lanci si pongono pesi uguali, per far l'equilibro nella stadera bisogna per contrappeso del romano, che peserà, v. gr., 10 libbre, metterne 100. e talvolta 500 e 1000. L' incarico del primo è tanto grave,

Digitized by Google

che non solamente conviene che l'incaricato si scarichi con risposte più gravi, ma talvolta è anco tale che, benchè profferito con parole, si stima non si poter contrappesare se non con i fatti. Voi siete stato il primo a pugner me, e senza occasione o ragione. Nè vale il dire, che il discorso del sig. Mario fusse mia farina; perchè, quando pur questo fusse, la dottrina solamente potrebbe aver presa da me; ma quelle che voi chiamate punture, qual cagione vi muove a credere, che anco in queste il medesimo sig. Mario abbia avuto bisogno del dettatore? Inoltre, le maschere alle quali non si risponde, son quelle che vanno appuntando tutti quelli che incontrano; e perchè la burla è comune, non si risponde: ma voi parlate a me solo, e per molte ore, e però ec. (1).

Che voi siate comparito in maschera per poter liberamente pugnermi, e non per altro, è manifesto, perchè sarebbe azione troppo scurrile il montar sopra le cattedre, o i pulpiti, immascherato a insegnar filosofia, o interpretar le Sacre Scritture, che sono le due azioni, che sole, oltre alle punture, esercitate: e se a questo fine solo, perchè almeno non lasciare star me ancora coperto dalla maschera, sotto la quale voi medesimo affermate che io era comparito in piazza? e perchè, appiattando voi, esclamare al popolo: avvertite che questo, con chi io garreggio, è Galileo Galilei mascherato da Mario Guiducci? Questo scoprir la faccia ad altri si chiama sfacciatezza e temerità, ma non conosciuta da voi perchè vi ci siete troppo abituato, *et ab assuetis etc.*

XXI. Che uno provocato da un altro gli risponda con qualche acerbità maggiore, è cosa consueta e permessa; ma che altri si pongano a incaricare uno che mai non parlò di lui, nè forse seppe ch'e' fusse al mondo, questo è bene mancamento grande e che eccede tutti i termini di modestia. Il Saggiatore risponde alla Libra, sendo prima stato aggravato da lei; ma da chi fu provocata la Libra a offendere il Saggiatore, il cui autore nè pure aveva aperto bocca, nè anco pensato all'autore della Libra? Volete dunque farvi lecito voi di mettere il nome e la persona mia in campo, che mai non fiatai di voi, per sfogar sopra di

(1) *Fin qui edita dal Venturi, l. c.*

Digitized by Google

me lo sdegno causatovi da un altro, e non volete ch'io mi risenta?

XXII. Bisogna recitare i versi del vostro maestro, e non questi.

XXIII. Io non mi son mai chiamato Ambasciador Sidereo, ne voi per tale mi areste nominato, se aveste inteso il titolo del mio libro, il quale è inscritto *Sidereus Nuncius*, che vuol dire Ambasciata o Avviso Sidereo, e non Ambasciadore.

